

* * * * *

MONASTERIUM

SS. UDALRICI ET AFRÆ AUG. VIND.

CCCIII. Ord. CIOXII.

Monasterii SS. UDALRICI & AFRÆ antiquissimam originem fuisse, ex vetustis literarum monumentis & sacris Ecclesiæ Augustanæ traditionibus perspicuè doceri potest. Nam cum anno Christi CCCIII. VII. Id. Aug. S. AFRA, civitatis Augustanæ patrona, à Gajo iudice ignis supplicio affecta fuisset, eam HILARIA mater memoria quam sibi suisque construxerat, condidit, & super *sacri corporis reliquias ædiculam vilibus ex lignis*, ut tabulæ Ecclesiasticæ loquuntur, excitavit, ibique cum ancillis ad sepulchrum excubans, martyrii coronam itidem accepit. Porro aream seu spatium ejusdem basilicæ, à primis fidei Christianæ AUGUSTÆ plantatæ incunabulis, Christianorum sepulchris fuisse dicatum, nemini debet esse dubium. Nam quod satis constat, ibi sepulchri locum accepere, AFRA, HILARIA, DIGNA, EUNOMIA, EUTROPIA, AFER, DIONYSIUS, QUIRIACUS, LARGIO, CRESCENTIANUS, EUTYCHIANUS, CHARITO, PHILADELPHUS, PETRUS, NIMMIA, JULIANA, DIOMEDA, LEONIDE, AGAPE; addidere quidam EMBLASIUM, EURIAM, FAUSTAM. Item alii X. quorum nomina intercidere. Condita ibi quoque plurimorum aliorum pro CHRISTO necatorum corpora. Ea deinceps area, diu Episcopis nostris sedes vivis, sepulchrum mortuis fuit. In qua eosdem synodos coegisse, mysteria divisisse, de rebus divinis sermonem fecisse, ac omnia, quæ ad pietatis cultum pertinerent egisse, non est à vero alienum. Sacra verò ædícula, quam statim ab AFRÆ morte inædificatam fuisse diximus, pro temporum varietate sæpe disiecta, sæpe restituta, in basilicæ denique amplitudinem, quam nunc oculis conspiciamus, excrevit, & urbe pomærio prolato recepta est. Eadem Ecclesia plerumque circa domorum sola, quæ solarii pensionibus nunc obnoxia habet, lege CONSTANTINI adjudicata accepisse sentiendum, cum AFRAM possessiones id loci habuisse fama sit proditum. Quinquies minimum fuit exusta. In Annalibus refertur AUGUSTAM Hunnicæ tempestatibus vi graviter concussam, sædè vastatam, ædiculam, quam cæmeterio post AFRÆ mortem additam diximus, inflammatam. Nam ATTLA, omnium post homines natos mortalium maxime ferox & superbus, obvia quæque fulminis in morem protrivit atque disiecit, annum circiter CDLI. Indubium est post acceptam cladem, à Christianis, qui superfuere, ædem memoratam restitutam, Clericosque adunatos fuisse, cum ante B. GREGORII tempora homines sacris initiatos eum in locum habitasse, literis sit consignatum. Canonicos autem Regulares, Regulæ S. AUGUSTINI subditos fuisse, necdum constat, cum omnes ejus ætatis Clerici, & Episcopi, cum suis Canonicis vitam communem & Apostolicam, nullius omnino rei proprietatem sibi usurpantes, sint sectati. Rebus Romanis, Gothicisque in his locis labefactatis, Alemannisque à Francis devictis, eosdem quoque noster locus magnos benefactores est expertus. E quibus præcelluere, DAGOBERTUS Magnus, PIPINUS & CAROLUS Magnus, FRANCIE Reges, qui eundem variis donis auxerunt & locupletarunt. Sub iisdem WICTERPUS & SIMPERTUS Episcopi præcipue locum hostili manu vastatum restaurarunt vivi, mortui sepulturam acceperunt. Ac præter eos TOSSO, NIGDIGARIUS, & ADELBERO Episcopi omnes Augustani, & sanctitate clari. Benefecerunt sacro loco alii quoque principes viri, præcipuè Duces Noricorum, inter quos TASSILO plurima contulit, quorum propter frequentes hostium incursus, loco nihil permansit. Omnium tamen clarissima extant beneficia S. UDALRICI (à quo nunc ipsi locum nomen) qui eundem bis instauravit. Primo anno CMXXIV. ordi-

nationis suæ primò. Secundo post crudelem illam vastationem per Hungaros anno CMLV. factam; ibidem conditus anno CMLXXIII. in hodiernum usque diem innumeris claret miraculis.

Canonicis à Regulari tramite descendentibus, suffecit BRUNO Episcopus Religiosos Ord. S. BENEDICTI. anno circiter MXII. quibus REGINALDUM Abbatem præfecit. Hic ex S. UDALRICI gente Dilinganorum Dynastarum profectus, Kyburgenfis etiam stirpis furculus fuit. *Inter cætera pietatis opera*, uti Laurishamensis Monasterii annales produnt, *misericordiæ compassionisque visceribus totus diffuebat: adeo, ut inter beatos pauperes regnum cælorum possidens, justitia ejus maneat in sæculum sæculi, & elemosynas ejus enarret omnis Ecclesia sanctorum.* AUGUSTÆ non amplius triennium præfuit, inde EBERSPERGAM evocatus, undecimque annos in Bojca versatus, magnam sibi virtutis & pietatis laudem collegit. Sed præcipue benignitas ejus in pauperes prædicatur. Ebersperga ad Laurishamense Cænobium missus, eidemque præfectus, non minori pietatis quàm religionis laude claruit. CHUNRADUS Salicus Imp. virtutis fama permotus, anno MXXXIII. apud Nemetes ad Spirensis Ecclesiæ episcopatum curavit provehi, cui per annos VII. insigni cum laude præfuit, talemque pontificem egit, qualem decebat illum, qui ex longa & religiosa disciplina ad infulam invitus esset protractus. Posito tandem spiritu, cælo receptus est A. C. MXXXIX. & in sanctorum numero habitus. Candelabrum Spiræ in summa æde pensile ex ære auro obductum, eximii operis, hodieque ibidem spectandum, REGINBALDI munus est. Versus inscripti circum extremam orbitam XXIV. auratis quamquam litteris, ætatis plumbum non poterunt tegere. Sub finem ferè, hi duo ad MARIAM Virginem leguntur.

*ISTUD NON MAGNUM DIGNANTER SUSCIPE MUNUS,
QUOD REGINBALDUS TIBI PRÆSUL REDDO MISCELLUS.*

Cæterum Monasterio SS. UDALRICI & AFRÆ S. HENRICUS Imp. fundos ac prædia contulit, cujus conjux S. CHUNEGUNDIS locum donis amplissimis auxit. An. MXXXI. EBERHARDUS Episcopus addidit pontem LYCI cum theloneo. Circa annum MXLIX. LEO IX. Pont. Max. Aug. in sæpe memorata basilica ad SS. memorias venerabundus DEO supplicans, audivit voces Angelorum canentium: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.*

Florere dicti Cænobii Monachi magna certè virtute, doctrina, & constanti disciplina ad postrema pene tempora. Quod petiti inde non modo in vicina Monasteria Antistites, sed frequentes etiam civitatum Episcopi demonstrant, quorum tamen nomina, & res gestas hoc loco referre, nec hujus loci, nec instituti nostri est. Hoc tamen addam; Primos statim post REGINBALDUM Abbates, DEGONEM, GOTISGENUM, FRIDEBOLDUM, HENRICUM, THEODONEM, ADALBERONEM, non solum verbo & exemplo suis egregiè præfuisse, sed fama vel usque ad sidera notos, ideoque ob tam præclaram nominis celebritatem, ad altiores dignitatum gradus promotos, hinc discessisse, præter FRIDEBOLDUM, quem S. HENRICUS Imp. cui à confessionibus fuerat, tanto amore pariter & honore prosequabatur, *ut quotiescumque curiam Imp. adiret, ei cum primatibus assurgeret, & nunquam prius ipsi daret licentiam abeundi, quam aliquod clenodium pro munere acciperet à Rege (Catal. Ab. ms. Chron. Meist. l. 4. c. 13.)*

ADALBERONIS VII. Abbatis consensu, S. P. Q. A. locum (cum toties hostium incurfibus potuisset) urbe Pomærio prolato recepit. Idem ALEXANDRI II. partes sequutus, à civibus injuria affectus, Romæ benignè à Pontifice auditus, in reditu obiit MLXV. Ecclesia verò nostra ab EMBRICONE Episcopo instaurata, dedicata est ab eodem, assistentibus sibi GUNSONE (quem Bruschius GUNDECARDUM nominat) Eistettenfi, & ELLENHARDO Frisingensi, Episcopis, præfente HENRICO IV. in vigilia Nativitatis S. DEI GENITRICIS A. C. MLXXI. Eandem ob causam ob quam ADALBERO EGINO XIII. ab HERMANNO Episcopo exagitatus sub PASCHALI II. Pisis vita excessit, miraculis clarus MCXXXII.

Sub HEZILONE Abbate CONRADUS de Lützelftain Episcopus Aug. Monachum induit, in hoc Cænobio MCLVI. Eidem postea anno MCLXVII. vita functo, successit HARDOVICUS de Lierhaim Prior nostri Cænobii. Anno MCLXXXIII. XVI. K. Jul. Monasterium cum Ecclesia igne conflagravit. Exin novum templum excitatum, & solemni Ecclesiæ ritu dicatum, sacratumque est, anno MCLXXXVII. VIII. Id. April. à CONRADO Archiepiscopo Moguntino, assistentibus eidem UDALSCALCO Augustano, OTTONE Frisingensi, HERMANNO Monasteriensi, OTTONE Arelatensi, BERCHTOLDO Tullensi (*al. Treuerensi*) Episcopis. Arca insuper, qua sacra D. UDALRICI Lipsana continebantur, ipsiusmet Imp. FRIDERICI (qui cum tribus filiis, multisque Imperii Principibus aderat) ac trium Episcoporum humeris, honoris causa elata fuit. Columnæ lapideæ ambitus factæ sub ERCHINBALDO circa MCXC.

Tempore Abbatis CONRADI I. qui iniiit anno MCCCXXXIV. magnum extitit incendium, quo periere CCL. domus nostræ parochiæ: ipsum Monasterium inflammatum, Fratribus DEI ac S. AFRÆ opem implorantibus, & Respons. *Martyr sancta Dei* concinentibus, divinitus igne sopito conservatum est. Hinc posteris temporibus solennis supplicatio per gyrum Monasterii Dominica V. post Pascha instituta fuit.

Levavit idem Abbas de fonte baptismatis omnes liberos LUDOVICI IV. Bavari Imp. cui etiam à confessionibus fuit, & non pauca privilegia & gratias ab eo consequutus est.

Notatum est inter cetera, ut quoties locus bene reformatæ vitæ laude floreret, tum maxime signa ad SS. intercessionem ibi ederentur. Habuit autem, ut multa sunt indicia, primam reformationem ex Monasterio Hirsaugiensi, quam novam seu Cluniacensem reformatam appellant. Deinde decreto Concilii Constantiensis, & BENEDICTI XII. Constit. subjectum fuit Capitulo provinciæ Moguntinæ. Tertia reformationem accepit à Mellicensibus, quam etiam per MELCHIOREM Abbatem per plura Monasteria propagavit, præsertim OTTENBURAM, THIERHAUPTEN, FULTENBACH, missis illuc religiosis, bonique testimonii fratribus. Idem fecit de Monasteriis Monialium KÜBACH & HOLTZ, assumptis à se reformatis sororibus ex suo Monasterio S. NICOLAI extra muros urbis Aug.

Tum etiam SS. corpora effossa, reliquiæ SS. inventæ, & S. SIMPERTI diem festum celebrandi licentia est impetrata. Ejus porro sacræ reliquiæ cum alias translatae sunt, tum maximo apparatu, quem præter FRIDERICUM Episcopum & clerum Augustanum, MAXIMILIANUS Cæsar, CHRISTOPHORUS & WOLFGANGUS Bojorum Duces coram honestavere, Anno MCDXCII. IX. K. Maji, tertia Pascha feria.

Novæ templi structuræ sub prædicto MELCHIORE MCDLXVI. initium factum, quæ tamen MCDLXXIV. ventorum vi disiecta, ipso SS. PETRI & PAULI concidit, & XXXIII. utriusque sexus obruens vita privavit. A fundamentis dein MCDLXXVII. novum templum excitari ceptum, quod anno sæculari M. D. in die S. MARGARETÆ, solenni Ecclesiæ ritu consecratum est, & eodem lapis primus pro fundamento novi Chori maxima pompa positus, per MAXIMILIANUM I. Imp. & FRIDERICUM Comitem S. SEVERINI, Cardinalem S. THEODORI, talem inscriptionem continens:

JESU CHRISTO SACRUM.
MAXIMILIANUS. RO. CÆSAR. AUGUSTUS.
AD. III. IDUS. JULIAS. A. FUNDAMENTIS.
LAPIDEM. HUNC. PRIMUM. POSUIT. ANNO. M. D.

Trulla vero qua Cæsar utebatur hæc continebat.
PERPETUÆ. SECURITATI. ET D. UDALRICO. MAJORI.
ATQUE. PROPINQUO. SUO. EX. PROSAPIA. VETERE.
PRINCIPUM FERRETENSIVM. D. MAXIMILIANUS.
ROM. CÆSAR. COMES. DE. PHIRT. DEDICAVIT.
ANNO JUBILÆO M. D. AD. III. IDUS JULIAS.

Tantæ solennitati præter Card. & Imp. interfuere complures alii tam Ecclesiastici quam sæculares Principes; præcipui numerantur BERCHTOLDUS Archiepiscopus Moguntinus, & ERNESTUS Dux Saxoniae Archiepiscopus Magdeburgensis. LAURENTIUS Herbipolensis, GABRIEL Eistettenfis, JOANNES Dalurbus Wormatiensis, MELCHIOR Brixinensis, similiter Tergestinenfis & Viennensis Episcopi.

FRIDERICUS Dux Saxoniae & JOACHIM Marchio Brandenburgensis, Electores. GEORGIUS & ALBERTUS Bavariae Duces. ALBERTUS & GEORGIUS Saxoniae, GEORGIUS & Henricus Brunswicenses, HENRICUS & MAGNUS Megalopolitani, & WILHELMUS Juliacensis & Montium. FRIDERICUS & CASIMIRUS Brandenburgenses Marchiones, cum Mantuano. Adhæc Legati Regum Franciæ, Hispaniæ, Poloniæ, Hungariæ & Apuliæ, ac Venetorum, reliquorum Principum & Episcoporum ac Imperialium Civitatum (quæ per Legatos suos tum in Comitibus comparuerunt) nomina brevitatis causa transeo. Abbates Campidonensis, Cæsariensis, Vinearum, Salemitanus, Soretanus, Melicensis, S. Crucis Werdeæ & SS. Udalrici & Afræ CONRADUS Mörlin, innumeri præterea Comites ac Barones.

Illud templum nostro primum tempore feliciter est absolutum; nam turris ad culmen usque perducta est A. C. MDXCIV. JACOBO Abbate: cætera patent ex inscriptione quæ retro majus altare in Pario excisa lapide extat.

D. O. M.

VIRGINI ΘΕΟΤΟΚΩΙ, RELIQUISQUE, CÆLITIBUS
PARTIM, HIC, AD, CULTUM, PUBLICUM, EXPOSITIS
PARTIM, IN, TERRAM, DEMISSIS, CONDITISQUE, ODEUM
PRINCEPS, TRIPLICESQUE, CHOROS, SACELLUM
SUPERIUS, INGENS, ARAS, QUATUOR, MAXIMAS
CUM NOVA, TOTIUS, PROPE, TEMPLI, SUBSTRUCTIONE
CERTÉ, INSTAURATIONE, OMNIQUE, ORNATU
INTRA, PROXIMUM, DUODECENNII, MOLITI.

JOANNES, ABBAS, DUODEQUINQUAGESIMUS

GREGORIUS, PRIOR

TOTUSQUE, CONVENTUS

POSUERUNT

ANNO POST C. N. CIO. IC. XII.



MONA-

MONASTERIUM

S. PETRI SALISBURGI DCXVI.

S. PETRI Salisburgi & vetustate, & dignitate nulli è Germaniæ Monasteriis secundum, hac occasione excitatum, in eam amplitudinem, quam nunc conspiciamus, evasit.

RUPERTUS regio Francorum Scotorumque Principum sanguine editus, Vangionum (quos hodie Wormacenses appellamus) primum pontifex, à discolis auditoribus arreptus, servilem in modum flagris cæsus, pontificatu dejectus, ex urbe etiam eliminatus, à THEODONE III. Bojorum Principe benigne invitatus, & ab eodem Reginoburgi cum insigni procerum comitatu obviam progresso, incredibili lætitia maximo applausu exceptus, indicto jejunio illum Christianæ fidei mysteriis erudit, eruditum & satis jam confirmatum, abdicato impio pessimorum dæmonum cultu, salutari baptismate abluit. Principis exemplum plerique optimates sequuti, & populi magna vis, nobilium ignobiliumque certatim Christo nomina dedere. RUPERTUS inde Principis hortatu secundo Danubio devectus, multam præterea pietatis sementem fecit, Evangelio omnibus qui secus ripam colerent libero sermone annunciato, ad inferiorem usque Pannoniam, ibi exscendens iter retro pedibus tenuit.

Tum THEODO institit RUPERTO, sedem sacrorum legeret firmaretque, ex qua ipse & successores Episcopi, subjectam provinciam salubribus præceptis informatum regerent. Placuit Juvavia, splendida olim Romani nominis colonia, tum afflictæ superiorum temporum barbaricis motibus & vastitate, in ruinis & solitudine cubans, urbis verius cadaver. Magno studio, & alacritate instauratam, mutato veteri vocabulo Salisburgum dixere à præfluente Salsa. Templum Deo & Apostolorum principi PETRO cum Cœnobio positum. RUPERTUS dicavit, sacerdotibus sacerdotumque ministris, & omnibus subinde rebus quæ ad divinum cultum Christiano ritu peragendum opportunæ, Ducis liberalitate fretus, ampliter instruens. Neque defuit Theodo conceptæ spei, largis subministratis vectigalibus; Salisburgum enim pontifici concessit, prædia, villas, lacus, amnes, piscationes, silvas, & venationes adjecit. Adhæc vineas ad Danubium prope Reginoburgum aliquot; Salinis, fornaces excoquendo sali viginti, & decumæ omnino vectigalium, quæ fiscus id loci cogeret.

RUPERTI sanctissima facta complures literis consignarunt, ubi ea copiose cognosci possunt.

Idem ERENDRUDEM neptem, quæ perperam quibusdam foror credita, numerofo sacrarum Virginum collegio præficit, ædificato à REGINODRUDE THEODONIS uxore ad urbem monasterio, & anno post C. N. CD. XXIII. & magnæ DEI Matri Virginique consecrato, Nonnarum montem etiam nunc appellant, in quo liberaliter ornando THEODIBERTUS patris pietatem adæquavit.

RUPERTUS superne monitus mortalium laborum finem, æternitatis præmium prope esse, discipulis vocatis ostendit, quem ex sacerdotum numero sibi successorem substituit cupiat, VITALEM videlicet, notæ sanctitatis, & apud omnes ordines gratiosum hominem, S. PETRI Cœnobii Abbatem. Ingravescente per quadraginta jejuniorum dies morbo, festa Christi resurgentis luce, quæ in VI. Kal. April. incidit, sese ut potuit colligens, obitare divina, sacrarumque mysteriorum percepto viatico multum de virtute hortatus discipulos, lenissimo sermone paterno prorsus affectu, inter complorantium manus exspiravit, Anno Christi, ut conjectant historici certiores DCXXVIII. Auditæ canentium voces, angelorum creditæ, & visi obversari inter justa funebria candidati hominum specie, quos quod eo officio sancti disparuere, angelos fuisse nemo dubitavit. RUPERTUS cœlo receptus, Boicæ Apostolus & tutela habitus.

Post RUPERTUM & VITALEM, deinceps ANSOLOGUS, SAVOLUS, EZIUS, FLOBARGISUS Salisburgensibus præfuerunt, Abbates omnes hujus monasterii S. PETRI Apostoli, quod RUPERTUS in ea urbe instituit.

Permansit Pontificia cathedra ad D. PETRI monasterium usque ad S. VIRGILIUM Episcopum, qui ingentis, & posteris quoque admirabilis molis basilicam plurium annorum opere ex ædificavit, & Episcopalem cathedram ibi collocans, & primo Bojorum divinæ legis præconi & magistro S. RUPERTO nuncupans, sacras illius simul & CUNIBALDI & GISILARII Comitum corporum reliquias religiose transtulit, ut loco nimirum reverentia accederet, tum sibi successoribusque Episcopis tanquam speculum, quod ante oculos situm semper inspicerent, proponeretur.

Idem VIRGILIUS Episcopus inæstimabilis sanctitatis & meriti, id enim à vitæ scriptore tributum elogium, posteritas consentiens approbavit, leni morbo V. Kal. Decemb. decessit A. C. DCCLXXXIV. Multa & mirifica, eaque salutaria plerisque signa, ad mortui cadaver sunt edita, verum nullum uni beneficio anteferendum, & quod Carantanis Christianæ fidei mysteriis erudiendis vivus præstitit. GREGORIUS IX. P. M. divorum numero post aliquot sæcula publice ascripsit, A. D. Cl. CC. XXXII. Salisburgensibus juxta RUPERTUM, patronus & tutela colitur.

Eidem subrogatus est BERTRICUS, Abbas S. PETRI, qui vix toto anno superstes, sedem morte vacuam ARNONI tradidit; cujus primum opera & illustri apud CAROLUM LEONEMque Pontificem gratia, Archiepiscopatus dignitas in eam commigravit, Extat Diploma LEONIS III. A. C. DCCXCVIII. datum.

ARNONI in Archiepiscopatu successit AMMICONIUS itidem Abbas S. PETRI.

A. C. Cl. LXXIV. GEBHARDUS Salisburgensis Archiepiscopatus, in honorem S. DEI Genitricis MARIÆ & S. BLASII Martyris & Episcopi, Monasterium in valle Admontensi construxit, & eodem anno III. Kal. Octobr. dedicavit. In quo Monasterio duodecim Monachos sacerdotes ad serviendum DEO ordinavit: ad quorum stipendia, & vestes, nec non hospitium & pauperum sustentationes prædia tradidit.

Huic

Huic vero Cœnobio, consensu venerabilis D. REGINHARDI Abbatis Monasterii S. PETRI, primum Abbatem præfecit D. ARNOLDUM, Monachum hujus nostri S. PETRI Cœnobii.

Post REGINHARDUM præfuit IREMBERTUS, sed pertinaci morbo afflitus non erat oneri ferendo, eoque se ultro magistratu sacro abdicavit, suumque munus THIEMONI ex Altachensi sede jam fama celebri per GEBHARDUM pontificem Salisburgensem evocato commisit. Quod THIEMO susceptum cum ingenti cura, nec minori prudentia & laude administravit. Sed cum atrox in Ecclesia dissidiorum orta tempestas orbem concuteret universum, orbis capitibus Pontifice & Cæsare inter se dissentientibus, fulmen hoc etiam Salisburgensem provinciam afflavit, cum GEBHARDUS religiosissimus antistes contra HENRICUM diris execrationibus devotum, & ab Ecclesiæ societate proscriptum, pro GREGORIO VII. P. M. staret, eoque nomine & ipse gradu per Cæsarem dimotus esset, occupata à BERTHOLDO GEBHARDI Cathedra, ne THIEMO sanctiores partes secutus, contra Rom. pontificem cogeretur sentire, inde in Sueviam profugit, ædesque illic sacras Schaffhusianam & Hirsaugiensem lustravit, quod id ævi illa duo Cœnobia maxime fama virtutis & optimis institutis florerent, hæsitque totum triennium in postremo; ubi perinde se gessit atque unus aliquis de grege, ad omnia religiosæ disciplinæ officia demissus. Tum deinde ratus mitiora tempora secutura, simul ad suos rediit, à BERTHOLDO nunc promissis invitatus, nunc minis impulsus, ut in ejus & Cæsaris partes concederet, cum nullum periculorum exitum domi reperiret, iterum profugus in Admontanum cœnobium secessit. Interea GEBHARDUS cum illustri sanctitatis, fidei & constantiæ laude ad Superum societatem evocatus, sedem à Schismatico per vim occupatam, THIEMONI eorum consilio, qui sanam Pontificis rationem & auctoritatem sequebantur, & BERTHOLDUM lupum non custodem gregis arbitrabantur reliquit. Quas vero perturbaciones, adversariorum persecuciones, vincula & ærumnas toto administrationis suæ tempore pertulerit, non est nostri instituti pluribus hoc loco profequi;

Cæterum THIEMO sub finem vitæ consilium cæpit Hierosolyma petendi. Eapropter in orientem transgressus, in Galilæam, haud procul urbe, cui olim Corozaim exadverso Capharnai interlabente Jordane sita transmisit, ubi à paganis Turcis & Saracenis circumventus, ac pedicis indutus, cum simulacrum Mahumetis truncum (nam statuaria pingendi fingendive disciplina pollebat) integrare juberetur, illud membratim comminuit. Hinc jussu irati principis vestibus spoliatus, jumentoque impositus, scutica toxicata per viam cæsus, ubi in campum certaminis pervenit, circumfusus carnificibus & barbaris articulatim, per digitos, manus, pedes, brachia, (velut Jacobus ille apud Persas) inciditur, ac demum omnibus membris detruncatis, ad modum S. ERASMI, recluso ventre in testini caput bacillo implexum evolvitur, quoad per flexuosos orbis exhaustis ilibus ipsa sedes vitæ cor avulsum sequeretur, cum quo simul extremus pontificis spiritus est extractus, qui inter horrenda crudelitatis exempla assidue Numen veneratus in Davidis hymno animam in Dei sinum ac manus effudit, quam cœlitum symphonia cum Epinicio in templa cœlestia deduxit, ubi in omnes omnium temporum æternitates beata triumphabit. Vixit anno Christi Cl. Cl. IV. Kal. Octobr. pridie S. MICHAELIS.

A. C. CLV. CLXVII. HENRICUS Abbas S. PETRI Gurcensis Episcopus creatur.

Habuit amplissimum hoc Cœnobium continuata serie Abbates religione & auctoritate præstantes, usque ad nostra hæc tempora, quibus eidem summa cum laude præest, A. R. D. JOACHIMUS ex celebri Wessofontano superioris Bavarie Monasterio (quod ante octingentos & octoginta circiter annos fundatum, non sine miraculo, scalæ apparentis, & angelorum in ea ascendentium, & descendentium, & Apostolorum Principis scalæ innitentis, adhuc superest) evocatus, qui præter providam Abbatie suæ administrationem, auspiciis, jussu & impensis Reverendissimi & Illustrissimi Principis ac Domini D. MARCI SITTICI Archiepiscopi ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ, revocavit antiquissimum illud Scholarum Monasticarum institutum, quibus olim doctissimi quique & probatissimi Monachi præficiebantur; quæque non solum Religiosis erudiendis dicata erant, verum etiam in eis seculares, procerumque & nobilem liberi instituebantur, de quibus præclare Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Sed de hujus Salisburgensis studii pro PP. Ord. S. BENEDICTI erecti fundatione, progressu & instituto forte alibi plura commodius tradentur ab aliis: nos hæc, præter institutum nostrum, hic tantum paucis insinuare volumus.

MONASTERIUM

S. MAGNI IN FAUCIBUS. DCXLVI.

S. MAGNI totius late patentis Augustanæ diæceseos antiquissimum Monasterium situm Abusiaci in alpium faucibus, quas Julias dictas volunt, vario eventu. Porro alpes Juliae, à Julio nomen fortitæ, triplices sunt. Unæ apud Taurinos: Alteræ in Rætia: Tertiæ apud Venetos. De Ræticiis nobis hic sermo; quæ a Septimo usque ad Braulium montem late patent, & in quibus Oenus fluvius oritur, extenduntur autem usque ad fontem Lyci fluminis, ubi olim jussu & imperio S. NARCISSI Gerundensis in Tarraconensi Hispania Episcopi, & Vindelicorum Apostoli longe clarissimi, ministerio dæmonis draconem immani, vastaque magnitudine, ac inusitata corporis mole præditum, qui maximam circumquaque vastitatem faceret, utpote quod aerem circumfusum adeo venenaret, ut vel halitu ipso pestifero multos exanimaret; aut venenum morfu letifero inspiraret, occisum ecclesiastica referunt monumenta. Inde autem à Julio Cæsare loco nomen inditum fama est, quod idem ab una rupe ad alteram Lycum equo transfilerit, vel thermis ibidem usus fuerit, Julenbachensibus post dictis. Extant adhuc eadem thermæ non procul ab oppido, & Monasterii S. MAGNI ditionis sunt; salubres admodum, quod varias corporum male affectorum infirmitates tollant, nam pestiferos humores exsiccant, nativum calorem reducunt, viresque debilitatas restaurant, utpote, quæ multum salis, aluminis, & gypsi, nonnihil etiam sulphuris & alabastri contineant.

Fauces vero locum dictum volunt, quia Lycus fluvius ibidem intra dictas rupes, angusto loco quasi per fauces transeat. *Fieffen* vero à pedibus humanis, quibus oppidi insignia exornantur, quod ibidem trium conterminarum regionum confinia sint, Tyrolis, Bojariæ & Sueviæ.

Porro Monasterii hujus originem ita vetustis literarum monumentis memoriæ proditam accepimus. B. MAGNUS, ante etiam MAGNOALDUS dictus, ex Hybernia oriundus, COLUMBANUM & GALLUM, perspicuæ integritatis & innocentie viros ejusdem insulæ religiosos, partim prædicandi verbi Dei, partim solitudinis habitandæ causa peregrinantes, sequutus, ita ambobus probatus est, ut tum studio sapienter obediendi, tum pietate & sanctitate vitæ ac miraculorum virtute, utrique eorum admirationi esset. Qui cum ad silvam Brigantinam venissent, eumque locum incolentes, multos ad fidem convertissent, gravi Gentilium invidia perur-

perurgente COLUMBANUS in Italiam, MAGNUS vero & GALLUS ad eam Eremi partem se contulerunt, quæ adjacet Arbonensi territorio, inter fines lacus Brigantini & Alpes Rætiarum.

Visione autem cœlesti admonitus MAGNUS peragratis pluribus regionibus, sparsaque in iis Evangelii doctrina, ad alpium Juliarum fauces contendit; quo in itinere cæcum illuminavit. Agrum autem Campidonensem attingens, olim quidem cætu hominum frequentem, tum vero incultum & desertum; offendit vermium & serpentum colluvie ac dæmonum infestatione ita horridum, ut nec feræ venatoribus elapsæ, nec homines casu eo delati, tueri vitam possent à miserabili interitu. Quin & ulterius progressus, in horribilem serpentem incidit, quem virtute Dei enecavit; moxque omnium serpentum & vermium monstra universa disparuerunt, virtute ac potentia orationum MAGNI expulsa. Repurgato autem ita eo loco, & ad habitandum accommodato, magna vicinorum gentilium turba ad CHRISTUM conversa est.

Veniens deinde ad locum Equicaput dictum, horridum & immanem draconem, sanctis reliquiis signoque crucis munitus, precibus extinxit. Demum ad fauces alpium pertingens Monasterium hoc, de quo nobis sermo, extruxit, & Ecclesiam per S. WICTERPUM Episcopum Augustanum in honore S. DEI Genitricis MARIE, & S. FLORIANI Martyris consecrari fecit, Anno ut quidam notant, DCXXVIII. ut Bruschius DCCX. nos alibi viam mediam elegimus, & pluribus rationibus firmavimus, atque annum circiter DCXLVI. statuimus. Cum vero fama virtutum ejus longe lateque diffunderetur, factus est magnus concursus populi ad eundem locum, quem & propter dignitatem tanti viri, *Cellam S. MAGNI* indigitarunt, multis quoque prædiis ac possessionibus ditarent. Quare B. MAGNUS turbas declinans, secessum quæsit, adque fauces ipsas digressus, dæmones inde expulit, & adjuvante TOZZONE Presbytero, qui postea Episcopus Augustanus evasit, exiguum sane Oratorium construxit, à quo & S. WICTERPUS Episcopus accersitus, illud sub honore ac titulo S. SALVATORIS dedicavit. Bono quoque virtutum B. viri odore delectatus, quosdam religiosos Clericos in DEI servitio instituendos, in disciplinam ei tradidit. Qui divino amore succensi per viginti quinque annorum curricula, quibus B. Vir supervixit, ejus imperio audientes in CHRISTI servitio die noctuque persistentes, ad finem usque perseverarunt. Sanctus igitur Episcopus procuravit omnia necessaria ibidem degentibus, & profectus est ad aulam Regis Francorum, cui Alemannia etiam parebat, ubi à glorioso Duce B. PIPINO, dicto de Landis, patre SS. GERTRUDIS & BEGGHÆ, Majore Domus seu Magistro Palatii Regni Francorum sub CLOTARIO II. & DAGOBERTO MAGNO, honorifice admodum exceptus, eidem S. MAGNUM commendavit. Ille animo ad pietatem commotus, petitioni venerandi Episcopi annuit, atque locum ipsum sublimare, & terrenis commodis providere atque communire decrevit. Quapropter de vectigalibus vicinorum locorum, qui census & vectigalia annuatim regiis ærariis inferre tenebantur, redditus annuos beato viro in perpetuum addixit, & ne quis hanc donationem infringere ullo unquam tempore attentaret, illam donationem in publica instrumenta redigi, suoque sigillo muniri curavit, quatenus deinceps in saltu illo B. MARIE Virgini, & S. AFRÆ ex regia donatione addiæto WICTERPUS Episcopus omnesque successores ejus, sine ullius contradictione, supremam obtinerent auctoritatem. Quibus ex animi sententia transactis, idem Episcopus & regiis auctus donis, & amplissimis sublimatus honoribus, lætus ad propria regreditur, & beato MAGNO potestatem fecit regularem instituere vitam, ejusque loci curam commendavit. Ab illo tempore locus ipse à B. MAGNO fundatus, atque à Pontificibus Augustanis locupletatus, adhuc usque tempora feliciter est propagatus.

S. MAGNUS præterea magna accolarum utilitate urso monstrante ferrifodinas adinvenit, ibique magnas virtutes operatus est, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum reddidit; truculentas quoque feras obedire sibi fecit, aliaque plurima edidit miracula, quibus magnam incolarum ejus loci multitudinem, ad CHRISTI

fidem perduxit. Postquam autem viginti quinque annos in eodem cœnobio vixerat, ætatis suæ anno septuagesimo tertio, viri Deo dilecti & sanctitatis laude celeberrimi anima, corpore leniter soluta, migravit VIII. Idus Sept. in cœlum; corpus eidem monasterio perpetuum relinquens ornamentum. Asservantur ibidem thesauri pretiosi instar & alia veneratione dignissima S. MAGNI monumenta, inter quæ principatum quasi obtinet CRUX argentea, quæ non ita pridem alii pretiosæ hypothecæ deauratæ, gemmis & chrystallo exornatæ inclusa fuit. Continet eadem crucicula reliquias B. DEI genitricis MARIÆ, Ligni, S. CRUCIS, SS. Martyrum MAURITII & Sociorum ejus, nec non BB. Confessorum CHRISTI COLUMBANI & GALLI. Eandem colle dependentem in via gestare, cum vero orationi incumbere vellet, vel ex arbore vel alicubi suspendere, & coram ea se prosternere solebat. Adhuc salutaris ejus usus sæpe invenitur. Ubi enim tempore tonitruï asportatur, aerem mitigat, aereas potestates expellit, segetes à grandinibus præservat: quin & Campana major hac cruce benedicta, magnam virtutem habet contra tempestates.

Religiosè itidem asservantur, S. MAGNI Cuculla, (quæ puerperio laborantibus imposita, nonnunquam à periculo & dolore easdem liberasse proditur) Stola & Manipulus. Calix insuper, ex quo bibentes à variis morbis sanantur; præsertim à febre & maleficiis complures liberatos literis consignatum habetur. Adhæc impetiginem capitis, quæ ex discrasia provenit, & alias mentis passiones, dentium dolores intolerabiles, syncopen & alias infirmitates sibi propulisse, non pauci grati agnoverunt.

Præterea Scipio sive Baculus, quo ante S. MAGNUM usi fuere SS. COLUMBANUS & GALLUS, cujus virtutes admirandas, vere atque æstate præsertim, ferme quotidie experiuntur agricolæ. Quando enim vel in agris, aut hortis, seu plantis, arboribus sive herbis nocivi grassantur vermes, aut cujuscunque tandem generis mures, erucæ, cyniphes, seu qualiacunque demum animalcula, venenatæ bestiolæ, aut insecta, quæ ludunt aut arrodent radices segetum, inficiunt, devorantve folia, flores aut fructus arborum, herbarum, cujuscunque generis plantarum: quamprimum facer iste baculus, terræ, ubi pestis illa grassatur, infigitur, mox fugatur aut extinguitur. Eundem effectum habere ramos seu frondes arborum & fruticum, item terram, si baculo aut Cruce prædictis tangantur, signentur, & à Fratre quodam ejusdem Monasterii benedicantur, experientia pene quotidiana docet. Hinc etiam apud longe distitas & externas nationes S. MAGNUS honore, festoque die solennitur colitur, interque eos Divos, quos ob speciales quasdam prærogativas *Auxiliares* vocamus, præsentissimus Patronus habetur.

Idem Cœnobium anno circiter DCCLXXXVIII. Boicis præsertim bellis misere vastatum, flammis absumptum, concrematumque fuit: quod sic disiectum SIMPERTUS Augustanæ Ecclesiæ Pontifex sanctissimus CAROLI MAGNI auxilio fretus restituit, ædificia instauravit ac opibus auxit.

Idem postea donis amplissimis auxerunt & locupletarunt LEOPOLDUS Marchio Austriæ, & GUELPHO Dux Suevorum, quæ omnia paucis versibus comprehendit Jacobus Philomusus Poeta Laureatus.

Cœnobium Füessen Regali dote PIPINUS

Fundavit, sancti permotus numine MAGNI.

Vastatum Cæsar reparavit CAROLUS idem

Atque Augustana SIMPERTUS Præsul in urbe.

Austriacæ posthæc LEOPOLDUS Marchio terræ,

GUELPHO Suevorum Dux ampliter augmentarunt.

Habuit

Habuit hoc Cœnobium insignes quosdam Abbates, in quibus ceteris fere excelluerunt, CONRADUS Abbas II. qui religionis & sanctitatis laude plurimum floruit, ita ut *beati* prænominis etiam vocetur. HILDEBOLDUS præterea Abbas XXIII. insignis prorsus fuit, & innumerabilia officia præstitit HARTMANNO Episcopo Augustano. Obiit A. C. CI^oCC. LXXXIV.

Adhæc JOANNES V. Abbas XXXIX. doctrina & religione valde claruit, nam admirandæ fuit abstinentiæ, jejuniis, exercitiis spiritualibus, & vitæ contemplativæ totus deditus; ut interdum visus fuerit in mensa lectioni ita attentus, ut oblitus sit ferculorum, ac quasi raptus in extasin videretur. Interfuit Concilio Basiliensi, & propter doctrinam ac zelum religionis inter ceteros nostri Ord. Abbates præsentis officio functus est, multumque laboravit pro reformatione Ordinis circa annum MCDL. Eidem in nullo dissimilis fuit successor ejus JOANNES Höfs, adhæc arte pingendi & disciplinis Mathematicis plurimum claruit; & complura bona temporalia coemit, circa A. C. CI^oCDLXXX.

Hujus itidem successor BENEDICTUS Furtenbach, doctrina & pietate erga B. V. præsertim insignis, MAXIMILIANO I. apprime charus extitit. Sub cujus regimine Monachi doctrina, præsertim in Astronomia plurimum claruerunt; e quibus P. GALLUS Knöringer doctrina & pietate ceteris excelluisse proditur.

MONASTERIUM

S. EMMERAMI RATISPONÆ. DCXCVII.

Hujus antiquissimi pariter & amplissimi cœnobii origo talis est. EMMERAMI sanctissimi Episcopi & Martyris apud Bojos fama magis indies magisque clarifcente, THEODO princeps cædis noxiam, cujus pœnitentia dudum caperetur, aliqua expensurus, GEORGII Martyris ædiculam adjecto monasterio, quo loco lucum olim Deorum religione sacrum fuisse memorant, ampliat, ipsius EMMERAMI nomine indito, uti sibi numen, & sanctum numinis testem reconciliaret. Cœnobium illud hodieque maxime floret, de quo ex MSS. membranis hæc habentur: *Diligenter est advertendum, quod olim temporibus paganismi & infidelium, in illo colle, ubi nunc est Monasterium S. EMMERAMI situatum, tunc extra muros civitatis fuit lucus arborum sylvestrium, ubi diversorum simulacra Idolorum ab infidelibus colebantur. Qua superstitione hominum stultitia tandem divina gratia evanescente, & fide Catholica parum scintillante, ibidem luco deposito viles casæ pauperum hominum suburbanorum civitatis constructæ fuerant, & inter easdem casas constructum fuerat humile oratoriolum, in quo consecratum altare fuerat per fideles CHRISTI, tunc tenuiter clarantes in honore D. GEORGII Martyris. Quæ quidem Capella steterat ibi tugurii more, atque ipsa ibidem in eodem Monasterio cernitur hodie ejusdem Martyris S. GEORGII ad latus australe, versus ambitum dicti Monasterii. Ante quam aram D. EMMERAMUS primum fuerat tumulatus dicto Epitaphio adjuncto. Nemo denique mortalium de hoc ipso mirari debet, quandoquidem beatissimus Martyr in eadem capella Domino jubente voluit quiescere, & extremi sententiam examinis præstolari: Quia quem primo gratia docendi populum in fide Catholica in Ratisponam transtulisset, post crebros frequentes labores circa gregem Domini dictam Capellam à tumultu hominum alienam, sæpius idem vir sanctus solum Deo placere desiderans, vigiliisque & orationibus incumbens inhabitavit.*

Huic Cœnobio primus Abbas præfectus est APOLLONIUS, anno post CHRISTUM natum DCXCVII. & præfederunt Abbates huic Monasterio annis CXXXIII. usque ad annum DCCCXXX. Postea vacavit Abbatia dicta annis CLV. alias CXLV. Nam Episcopi Ratisponenses se intromiserunt de ordinatione & regimine dicti Monasterii, consentientibus Imperatoribus, usque ad tempora S. RAMVOLDI, patruelis S. WOLFGANGI, quem idem pius pontifex à Trevirensi urbe vocatum,

catum, constituit Abbatem, exinde continuata serie jam LV. numerat Abbatem R. D. HIERONYMUM, cui proinde adhuc multos annos precamur.

Erat idem Monasterium, prisca temporibus vix Capella Monachorum, sed postea per SIMPERTUM Ratisponensem Episcopum, jussu & sumptibus CAROLI MAGNI magnifice fuit inchoatum A. C. DCCLII. perfectum cum magni operis basilica DCCLXXXIII.

Dictus Imperator dedit privilegium immunitatis & exemptionis, ut solis Romanorum Imperatoribus ac Regibus subiectum sit, confirmans omnia à patre suo Pipino Rege, & ab antecessoribus suis data, quod idem etiam successores Imperatores & Reges fecerunt, quorum diplomata pleraque apud Hundium ex Aventino citata invenies.

Supra reliquos autem munificus & liberalis erga hoc Cœnobium ARNULPHUS Imperator extitit, qui ob amorem & honorem S. EMMERAMI ipsam civitatem RATISPONAM ampliavit, ipsumque Monasterium inter muros inclusit, eamque civitatis partim S. EMMERAMO tradidit, ut colligere videtur Hundius. Adhæc quadraginta vineas in monte, qui est in ripa Danubii, juxta eandem civitatem dono addidit. Insuper & reliquias S. DIONYSII Areopagitæ, Episcopi Athenarum, & Parisiensium in Gallia Apostoli, Martyris, & Hierarchici Doctoris celeberrimi, una cum pretiosissimo Evangeliorum Codice, quem Carolus Rex Franciæ, postea Imperator dictus Calvus, fieri jusserat, ad Monasterium S. EMMERAMI transfudit, Anno DCCCC. pridie Kal. Decembris.

Postea venit in Germaniam LEO IX. Pontifex M. anno CIJLII, rogatu Andreae regis Hungariæ ad componendam pacem inter Imperatorem Henricum & ipsum, simulque ad petendum militem & auxilia contra Nortmannos, qui provinciam pontificiam vexabant. Sub eam occasionem dum RATISPONÆ, Pontifex cum Henrico moratur, declarat publica auctoritate tabularum (quæ hodie leguntur, & subscribi possent, nisi apud Baronium extarent) servari RATISPONÆ S. DIONYSII corpus, furto per ARNULPHUM Imperatorem Parisiis olim sublatum, indeque RATISPONAM deportatum. Sed contra Rigordus historicus gente gallus, qui sub PHILIPPO LUDOVICI F. scripsit, exerte obnititur, docetque S. DIONYSII sacra pignora custodiri Lutetiæ, nec unquam fuisse inde sublata, literas esse confictas à Bojis; quod mihi procul à vera videtur ratione abesse. Quæ enim causa Bojos adegisset litterarum excogitandarum, si DIONYSIO caruissent? aut quorsum illa opinio gentem invalisset, si non Imperator ipse ARNULPHUS corpus in Bavariam transfulisset? an ut umbram DIONYSII, vel cæcula cæli adorarent.

Præterea diploma LEONIS pro Bojis, ut ipse Baronius affirmat, in veteribus pontificum Romanorum scriptis repertum ex Antonio Augustino posset hic collocari, nisi apud Baronium legeretur. Quid ergo Bojos de literis confictis accusant? Otho tamen Frisingensis videtur rem in medio relinquere, sed quamobrem? Eodem loci LEO, S. WOLFGANGUM & ERHARDUM antistites olim sanctissimos RATISPONÆ, multisque mirandis operibus vivos mortuosque fulgentes, cælesti inter Sanctos religione colendos præcepit.

Idem ædem S. EMMERAMI corruptam incendio, instauratamque refecit. Dedicatum ab eodem Sacrarium SIMONIS & JUDÆ supra fornicem (in capitolio) curiæ contiguum.

Reliquas donationes ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus viris ac faminis huic amplissimo Cœnobio factas, diligenter apud Hundium in Metropoli Salisb. annotatas invenies.

Illud porro Monasterium Romano Imperio, quo ad secularia, immediate subiectum est, à quo & Regalia in feudum tenet. ALBERTUS Romanorum Rex, concedit Abbati regalia feuda principatus. Idem fecit JOANNES Rex Bohemiæ, nomine patris sui HENRICI, Imperatoris, tunc in Italia agentis, Anno CIJ. CCC. XIII. his verbis: *Verleichen thme sein Fürstenthum und Regalia.*

Idem

Idem WENCESLAUS Rex, RUPERTUS Rex, infeudum concedit regalia & sæcularia feuda, Anno CI^oCDI. idem postea, Anno CI^oCDV. *Lechenschaft und Mannschaft* 2c. unde & Princeps Imperii ab illis Imperatoribus ac Regibus nominatur. LUDOVICUS Imperator IV. ita illi scribit: Dilecto nostro Principi, ALBERTO Abbati S. EMMERAMI in Ratispona, Anno CI^oCCCXXXII. LUDOVICUS Marchio, filius LUDOVICI IV. vocat eum *den Ehrsamen und Geistlichen Fürsten*, Anno 1348.

Principes Bavarie sunt Advocati ac defensores hujus Monasterii, quoad ea bona, quæ in Bavarica ditione sunt sita. Cætera sicut & ipsum Monasterium ad Romanum Imperium spectant.

In hoc celeberrimo loco plures tam sanctitate, & religione, quam seculari etiam dignitate clarissimi viri & faminae sepulturæ locum acceperunt, inter quos, ut fidus quoddam fulgidissimum emicat S. WOLFGANGUS Episcopus, qui nobili Suevorum sanguine natus, in Augiensi monasterio litteris apprime imbutus, postea in Hercinia Sylva, monachum professus est. Ubi aliquamdiu commoratus, & in Noricum disseminandæ fidei causâ profectus, invitus Episcopale fastigium RATISPONÆ conscendit. Ibi munere suo sanctissime perfunctus, ad cælites evolavit pridie Kal. Nov. A. C. DCCCCXCIX.

Ejus corpus in S. EMMERAMI æde conditorio clausum, ibi in crypta annos I^oLXXVII. latuit, ac præteritis demum annis à WOLFGANGO altero nominis hujus post S. WOLFGANGI Ratisponensis præsulis antistite repertum, & summa cum religione, publicaque celebritate translatum, novoque sacrario honoratum est.

Ex eodem S. EMMERAMI archisterio prodiit B. GUNTARIUS Episcopus, de cujus mirabili electione, hæc Dietmarus *lib. 2. Imperator (OTHO M.) audita Ratisponensis Ecclesie præsulis morte, eo perrexit: & ut Episcopatum non alii daret, nisi ei, qui prius sibi occurreret, in somnis admonitus est. Crastina autem die primitus inlucescente, Cæsar ad Monasterium CHRISTI Martyris EMMERAMI, Monachis hoc nescientibus, cum paucis venit, & paulatim ostium pulsans, à quodam GUNTHERO Ecclesie pervigili custode, & per omnia venerabili patre, intromissus est. Quem intuens ad adorandum primo supplex processit, denique talibus aggreditur: Quid, mi frater, pro adipiscendo Episcopatus honore vis dare? Senior ad hæc subridens, calceos, inquit, meos. Hunc autem cum cæteris confratribus ad Electionem Antistitis ad sanctum Petrum venientem, Cæsar explicato cunctis somnio, cæteroque rei eventu, cum consilio Cleri, totiusque populi ad sacerdotem constituit. Is vero accepta benedictione sedebat tantum VI. menses, ægritudineque compressus valida, ad modicum convaluit, sumptoque in manus cinere, locum, quo de seculo migrare voluit, signo sanctæ crucis, ipse conjurgendo signavit, solo tenusque positus, illud beati Job carmen beatus & ipse cecinit: *Auditu auris, audivi te Domine, nunc autem oculus meus videt te: Idcirco ipse me reprehendo, & ago penitentiam in favilla & cinere. Et continua confessione cum lacrymis peracta emisit spiritum.* Anno CCI^oXXXVIII.*

Ibidem in Crypta requiescit B. RAMVOLDUS Abbas, juxta aram S. GREGORII, & omnium Confessorum, cum hoc disticho:

*Signis clarescit pius hic RAMVOLDUS humatus,
Cælo fulgescit cælestibus associatus.*

Epitaphios ad S. Altare in ipsa crypta hic etiam hodie legitur, totius vitæ decursum succincte complectens.

*B. RAMVOLDUS D. WOLFGANGI PATRUELLIS COGNATIONE,
AMORE, PIETATE ET ORDINE GERMANUS, VIR VITA ET CON-
VERSATIONE INTEGER ATQUE SANCTISSIMUS, EX TREVIRENSI
URBE ET MONASTERIO S. MAXIMINI A. S. WOLFGANGO EVO-
CATUS ANNO 975. HUIUS LOCI ABBAS CONSTITUITUR, UBI IN
LABORE ET SOLLICITUDE PASTORALIS VITÆ STRENUÈ DE-
SUDANS, MAGNO SE ARDORE ET CONATU ADVERSARIIS OP-*

POSUIT, PLURIMUMQUE PRO LIBERTATE MONASTERII HUIUS LABORAVIT. OTTONI II. ROM. IMP. SEMPER AUGUSTO APPRIME CARUS, MIRO DEI JUDICIO BIENNIUM CÆCUS, MIRACULO CRUCIFIXI AD SEPULCHRUM S. EMMERAMI VISUM RECEPIT. CRYPTAM HANC AD SANCTORUM ET POST. MEM. A FUNDAMENTIS EXCITAVIT ETC. TANDEM CUM XXVI. ANNOS; MENSES V. DIES XVII. SANCTISSIME REXISSET, FEBRICULA CORREPTUS ANNO DOMINI CLOI. XV. KAL. JULII, ÆTATIS SUÆ C. BEATO FINE QUIEVIT, MIRACULIS CLARUS.

Ex eodem S. EMMERAMI Monasterio, ad HIRSAUGIENSIS Cœnobii gubernacula assumptus est WILHELMUS, fama sanctitatis, eruditione, & miraculorum gloria celeberrimus, qui Monastici Ordinis Reformator egregius, & plurimorum per Germaniam fundator Cœnobiorum extitit. Obiit IV. NON. JUL. A. D. MXCI. suscepti regiminis XXII. ætatis vero suæ LXV. Ejus vitam notis & commentariolo illustratam, ante aliquot annos publici juris fecimus.

Ibidem in Australi ambitus plaga beatæ memoriæ ADALBERTUS Abbas sepultus, requiescit in cancello fereo, cujus mausolæo inscripta hæc carmina.

Floruit hic signis Abbas ALBERTUS optimis,

Illius precibus JESU Rex parce redemptis.

Obiit Anno CLOCLXXVII.

Præter enumeratos celebres viros XVIII. Episcopi Ratisponenses ibidem requiescunt.

Sanctitate etiam clara habetur ibidem AURELIA Virgo, Franciæ Regis filia, quæ ob vitandum mariti commercium profuga, venit ad Monasterium S. EMMERAMI, quam S. WOLFGANGUS collocavit in solitudinem, quæ nunc vocatur Sacellum S. Andreæ, juxta urbis Ratisponensis mania, ubi in vigiliis & orationibus LII. annis devotissime vixit, & Anno CLOXXVII. Idibus Octobris obiit, & in ambitu Monasterii hujus sepulta jacet, ad partem Australem, cum hoc disticho.

Hic pia florescit AURELIA Virgo sepulta,

Quæ penas nescit, cæli dulcedine fulta.

Ex sæculari statu præcipui habentur ARNULPHUS Imp. ejusque filius LUDOVICUS Rex Rom.

Item HENRICUS Baviariæ Dux, HENRICIS Imp. pater, vere pius & pro sancto cultus, cujus hoc Epitaphium:

HENRICUS regis pater, & defensio legis,

Baviariæ cultus, pius est hic duxque sepultus.

Aliæ præterea illustres utriusque sexus personæ, quas hic commemorare longum esset, & complurium etiam monumenta frequentibus ruinis obruta fuerunt.

MONASTERIUM

M A N S E E. DCCXXXIX.

LUNÆLACENSE, LUNÆLACUS, una dictione LUNELACH, vulgo MANSEE Monasterium in ea Baviariæ parte (quæ terra supra Anasum vicinissima, & pene contigua est) ad ejus nominis insignem lacum, & elegantem Marcam intra Alpes Julias situm: omnium fere Baviariæ Cœnobiorum amplissimum, magnificentissimum ac opulentissimum (ut à quibusdam in literis relatum invenio) fundatum legitur circa annum DCCXXXIX. vel, ut alii prodidere, DCCXLVIII. ab UTILONE illustrissimo & religiosissimo Bojorum Duce, in honore S. PETRI Apostolorum Principis, & S. MICHAELIS Archangeli.

Hanc

Hanc foundationem THASSILO UTILONIS filius, religiosissimus Bojorum Dux, qui etiam à sanctitate plurimum commendatur, & ob miracula divinitus ad ejus tum-
bam post mortem ostensa, summis in cœlum laudibus à probatissimis Scriptoribus
effertur, Anno Christi DCCLXXI. confirmavit, additis insuper multis redditibus,
censibus, prædiis, curtibus, grangiis, pratis, & hominibus in Rottal, Maligow &
Alergow. Idque exemplum singulari quodam zelo sequuti & æmulati ejusdem
terræ viri nobiles, plurimum ad loci amplificationem & religiosum augmentum
contulerunt.

Eidem loco Abbatis dignitate primus præfuit OPPORTUNUS, vir religiosis-
simus, qui cum viginti aliis fratribus ex Casinensi S. BENEDICTI in Campania
Cœnobio evocatus, Abbatia huic præfectus est Anno Domini DCCXLVIII. præ-
fuit annis XXXII. & obiit anno DCC. LXXXI. ipfis Kal. Januarii. Extant de eo
& ejus Fratribus tales versiculi:

Cassino de monte legunt, & adhuc ibi degunt.

Domnos claustrales: nec habebat Norica tales.

OPPORTUNO successit HENRICUS, qui anno post CHRISTUM natum
DCCLXXXVII. cum ARNONE Salisburgenfi Episcopo (cujus primum opera &
illustri apud CAROLUM, LEONEMque Pontificem gratia, Archiepiscopatus di-
gnitas in eam sedem commigravit) Romam missus fuit. Ibi constituti HADRIA-
NUM Papam THASSILONIS nomine, adeunt, ut pacem iterum communis pa-
ter conciliet, rogant.

Non detrectavit operam Pontifex. Ut vero copiosa oratione CAROLUM
persuadere aggressus est, statim sibi eo labore superfedendum intellexit, respon-
dente quippe Rege, nihil sibi pace antiquius vel antehac fuisse, vel nunc quoque
esse, cujus rei luculenta dederit testimonia, quæ nihil opus commemorare, se mul-
ta expertum, quo THASSILONEM religione fœderum in officio contineret, quod
frustra fuerit, culpam certe præstare non debere. Quin ipse HADRIANUS, pa-
cis conditiones nunc coram inter præsentibus diceret, eas se, pro veneratione qua
Apostolicam sedem semper prosequutus sit, recepturum polliceri. Tum tergiver-
sari legati, neque se ea mandata domo afferre, neque sine mandato rem tantam,
qua Principis obstringatur fides spondere. Apparebat magis moram bello, quam
id quod prætexebatur quæri. Iratus itaque Pontifex, THASSILONEM, quique
ejus partes sequantur, diro anathemate percellit, nisi sanctitatem sacramenti, quo
PIPINO prius nexi, nunc CAROLO teneantur, per omnia ratam habeant.

Simul eum per hos ipsos legatos seria admonitione obtestatur, etiam quo pro-
grediatur cogitet, nam si porro pervicacia & perfidia animo indulgere pergat, se
CAROLUM & Francos, DEO & S. PETRO auctore, jam nunc crimine sol-
vere, cædes, incendia, rapinas, quæque alia mala bellum semel motum consequan-
tur, in ipsius caput recasura, ipsum omnium scelerum supplicia luiturum. Hæc
legationis illius summa fuit.

Huic Abbati dedit postea idem Archiepiscopus ARNO Ecclesiam S. MARTI-
NI in Straßwalden cum omni integritate, qua antea S. PETRO & S. RUPERTO
impendebat servitium.

Posthæc LAMBERTUS Abbas vitæ integritate & sanctimonia clarus, interven-
tu nobilium Comitum ERNESTI & ALBERTI à Rege LUDOVICO obtinuit ter-
ritorium (quod posterioribus seculis à S. WOLFGANGO nomen tulit) in A-
bernsee, cum toto nemore circumjacente. Facta est hæc donatio in in Transtorph
Anno C. DCCXIX.

Anno posthæc CCMXXXI. Rex LUDOVICUS LUDOVICI Imp. filius, ad
petitionem HEMMÆ Reginae uxoris suæ, Monasterium Mansee BATHURICO
Ratisponensi Episcopo tradidit in permutationem pro Monasterio superiori B. Vir-
ginis Ratisponæ, Obermünster dicto, quod ad prædictam Ratisponensem Ecclesiam
pertinebat. Inde per longum tempus, fratres Cœnobii, etsi pauci numero ob te-
nues & exiguos redditus sibi relictos (nam plerique dilabebantur, locumque dese-
rebant

rebant, eo quod Episcopo violenter multa & superbe agenti subesse nollent) facultatem eligendi Abbatis non habebant, sed eos à Ratisponensibus Episcopis sibi præfectos accipiebant. Post CM. etiam annum cum Hungari sæpius finibus suis egressi Germaniam impune fere popularentur, Bavariam quoque agressti inaudita crudelitate, cæde, ferro, flamma cuncta permiscerent, etiam Manseense hoc asceterium fæde vastarunt, diripuerunt, tantumque non solo æquarunt.

Anno deinde CMLXXII. Ratisponensis Ecclesiæ præsul creatus est WOLFGANGUS, qui cum aliquot annis magno concionandi, hortandi, visendi, curandique labore, non sine cœlestium prodigiorum iuffragatione, à pravis vitiorum corruptelis commissum sibi gregem ad Christianum disciplinam revocasset, ejusque gloria adeo celebraretur, ut ab omnibus velut unus è cœlitibus in terram delapsus coleretur;

Is popularis applausus adeo affixit animum illius, ut ad alpes Noricas Falconem montem, saltumque ad lacum Abernum pertinentem, haud procul Salisburgo confugeret, ibique totum quinquennium in ultima vitæ inopia, sed magna cœlestium gaudiorum copia inundatus traduceret, prodigiis clarus, cum varia terriculamenta phasmatum, phantasmatumque architectus technarum dæmon objectaret, ut montes inter se collisi, medium inde WOLFGANGUM elisuri viderentur; cum ex dura silice largos undarum fontes ictu pedi educeret, cum forte jactu securis, qua impacta erat rupi, ædiculam constitueret, quæ hodieque summa religione, magnaue peregrinorum frequentia celebratur. Hanc omnem vitæ rationem in solitudine præfertim transactam, mirandaque WOLFGANGI opera, loci habitum, facellum, lacum, alpes, stupenda ac vere inaudita miracula vernacula lingua descripta, annis ab hinc XX. publici juris esse jussit A. R. D. JOANNES CHRISTOPHORUS hujus Monasterii (sub cujus ditone prædictus sacer locus continetur) Abbas longe clarissimus.

Subsequentibus annis S. HENRICUS Imperator restitui jussit Monasterio, quæcunque ei injuste & violenter ablata fuerant. Sed & Episcopis Ratisponensibus præcepit, ut Cænobium Manseense pristinae libertati restituerent, & vel ablata vel violenter usurpata plene redderent. Idipsum his testatur Aventinus: *Mansee Noricorum adem, ab Episcopis Ratisponensibus, in paupertatem redactam, sacris D. BENEDICTI imposto Magistro reddit Imperator HENRICUS sanctus.* Hinc rursus canonicè electi Abbates huic loco præsidere cæperunt.

A. C. M. C. I. RUPERTUS Abbas Ratisponæ ab Imp. HENRICO IV. & HARDOVICO Episcopo Ratisponensi impetravit complures decimas, & parochiales aliquot ecclesias, Wifelburgum, & Steinakirchen cum omnibus ad eas pertinentibus rebus ac juribus.

A. D. MCXXVII. B. CUNRADUS ex Sigenbergensi monasterio (in quo sub CHUNONE Abbate floruit,) evocatus, ab eodem CHUNONE jam Episcopo Ratisponensi Abbatia huic Lunacensi præficitur. Præfuit utilissime annis XV. Consequutus privilegium ab INNOCENTIO II. P. M. ne impostero Abbas præficeretur in Mansee, nisi quem monachi communi concilio, aut certe sanioris partis consilio & assensu secundum DEUM, & B. BENEDICTI regulam providerint eligendum, idque privilegium datum est A. C. clcc. XLII. Trucidatus est à colonis suis ob defensionem rerum & facultatum Ecclesiæ, A. D. MCXLV. sepultus sub insigni marmore in media Ecclesia principaliore, è regione majoris suggesti, sub minore.

Ejus successor quoque WALTHERUS vir bonus & religiosus, cum XII. annis præfuisset, obiit MCLVIII. sepultus in sacello S. PETRI, quod olim S. ANDRÆ sacrum erat: claruit miraculis.

Qui hunc etiam in regimine sequutus est HENRICUS impetravit à LUCIO Papa omnium veterum privilegiorum confirmationem, aliquot superadditis novis A. C. MCLXXXII. Consequutus est à CONRADO Episcopo Ratisponensi Ecclesiam S. MARTINI in Weyhemnerlingen cum omnibus juribus, A. D. MCXCIV.

Ejus.

Ejusdem Abbatis temporibus resignavit CHUNO Ratisponensis Episcopus cœnobio in Mansee super altare S. MICHAELIS totam Forestam quæ dicitur Obersech, una cum territorio S. WOLFGANGI, quæ omnia Episcopi Ratisponenses diu injuste detinuerant, & usurparant. Hæc donatio facta est anno MCLXXXIV. IV. Non. April.

Magnam rerum suarum jacturam fecit hoc Cœnobium A. C. MCCIII. quando bellum fœdissimum inter EBERHARDUM Archiepiscopum Salisburgensem contra LUDOVICUM Bavariæ Ducem exarsit, in quo multæ arces dirutæ, tota Bavaria ferro, flammisque plurimum vastata, reliquiæ Sanctorum abreptæ, & alia facinora inaudita sunt perpetrata. Porro calamitatum hujus Monasterii misertus RUDIGERUS Pataviensis Episcopus, dedit eidem annuos proventus duarum Ecclesiarum Steinenkirchensis & Wifelsburgensis. A. C. clcccxxxv. Verum paucis post annis alia non minor calamitas hanc sequuta est, nimirum A. D. MCCXLII. quo HENRICUS Episcopus Ratisponensis cum Bavariæ Duce bellum gerens castrum Wildeneck Monasterio vicinum obsidione cinxit, & devastavit: & omne territorium Manseensis Cœnobii rapinis & incendiis, ferro & flammis fœde depopulatus est. Abbas tamen postea A. C. MCCXLVI. in ejusdem Episcopi tuitionem susceptus est.

Incendium in idem grassatum est A. C. MCCLXXIII. rursus LXXXII. ejusdem seculi præclare tamen ab Abbatibus restitutum fuit.

Anno MCCCX. Barones Austriæ & Stiriæ collecta sex pene millium equitum manu Lunælacensem Abbatiam & omnem circumjacentem districtum violenter intrantes ferro & incendiis deleverunt, & magna præda inde secum abducta ad sua redierunt.

Tertio etiam exustum fuit sequenti seculo, aliasque calamitates pertulit hoc Cœnobium, præclare tamen semper reparatum.

Post annum C. MCD. CONRADUS Abbas à BONIFACIO IX. P. M. impetravit usum mitræ & ceterorum Pontificalium ornamentorum pro se & suis successoribus. E quibus SIMON Reuchlinus imprimis vir bonus, maturus, & religiosus extitit: erat enim regularis observantiæ fervens zelator, in gubernandis temporalibus providus & circumspectus. Invenerat Monasterium in spiritualibus pene collapsum, quod ipse adjutus à Pontifice Romano ac Bavariæ Ducibus præclare & fortiter reformavit: omnia loca conventualia ampliavit & de novo condidit, præter Ecclesias quas vel de novo instauravit aut certe insigniter reparavit.

Successor quoque ejus BENEDICTUS Egglus erexit à fundamentis totam elegantissimam & sumptuosissimam Ecclesiam Manseensem: eam & Bibliotheca & clivodiis præclare auxit.

Hujus quoque successor WOLFGANGUS, præter cetera magnifice & præclare facta extitit Regularis disciplinæ & Benedictini instituti fortis zelotes, unde complurium Monasteriorum visitor & reformator esse meruit. Erat fratribus & in Choro, & in Refectorio semper fere conjunctus, ut eos suo etiam exemplo ad pietatem & vitæ sanctimoniam invitaret. Longum nimis foret, si cuncta hic egregie patrata commemorare vellem; unum addo, adhuc insigniter florere, utque perpetim floreat hoc perillustre Monasterium, summis me votis à DEO exoptare.

MONASTERIUM

BENEDICTBEURN DCCXL.

BEURN Monasterium prope alpes in superiori Bavaria situm, post tot seculorum ætates, & structuræ dignitate, & vectigalium magnitudine adhuc mirandum, hac occasione fundatum est circa A. C. DCCXL.

Temporibus CAROLI Martelli, quibus etiam UTILO rerum in Boica potiebatur, complura maximarum molitionum & impensarum sacra ædificia, viginti fere annorum curriculo, intra illius provinciæ fines excitata, & annuis immensis redditibus instructa sunt, tum ipsius Principis tum aliorum Dynastarum religiosa pietate, & effusa liberalitate. Sed LANFRIDI, VALDRAMIS, ELILANDI illustrium fratrum, in hoc genere monumenta, non tam laudem & admirationem habent, quam fere est ut fidem vincant, quippe quibus maximorum hodie Regnum comparata munificentia, tenuis sæpe & modica videatur.

Sunt qui VALTERIO Bliantii Comite natos, VALTERIUM cum CAROLO Martello ex Gallia venisse tradant: alii Antorfæ & Loysæ Comites aliquanto probabilius existimant, nam peregrinitatis fidem, potentiæ æstimatio detrahit. Octo per omnem Boicam fere prope Alpes & Lycum sparsere monasteria, BEUREN, SCHLECHDORF, VESSESPRUN, POLLING, supersunt post annos paullo minus octingentos, sive à primo ortu incolumia, sive restituta: SIVERSTAT, SANDAU, & STAFELSE, COCHELENSE, ad cognomines utrumque lacus, perierunt. S. BONIFACIUS, Moguntinus Archiepiscopus, qui tum temporis Germaniam universam verbo doctrinæ illustrabat, & non raro eandem ob causam Boicam invisebat, templa dedicavit, Cænobia legibus ad Benedictinam normam instituit. Prioribus monachi, postremis tribus virgines transcriptæ, Cocheleni GAILSVINDIS, trium fratrum soror præfecta.

Cum vero ab anno CM. usque ad CMLV. quo in Campis Vindelicis internectione deleti sunt, Hungari sæpius finibus suis egressi, Germaniam invasissent, dici non potest, quam multa inauditæ crudelitatis & libidinis exempla passim ediderint; Tum etiam Noricum, Alemanniamque percurfare, agere, rapere, ferre omnia, sacra, profana; incendia cædibus miscere; nullumque crudelitatis genus prætermittere. Hac occasione Cænobia ædesque sacras, quas mox commemoravimus, cum virorum sanctorum, tum sacrarum Virginum alias fœde vastarunt, alias funditus everterunt.

In quam sortem & BURENSE asceterium venit; quod cum aliquandiu in situ & squalore jacuisset, per RICHOLPHUM Præfulem instauratum est, tempore OTHONIS Imp. & S. UDALRICI Episcopi Augustani.

Ab instauratione vero inhabitant illud non parvo tempore Canonici Regulares, sed iis eliminatis, opera ADALBERONIS, Comitis de Sempta, Advocati hujus Monasterii, restituitur Benedictinis, per HENRICUM III. Imperatorem, qui eo HELENGERIONEM, Abbatem Tigurinum, cum XII. Monachis transtulit, teste Aventino.

HENRICUS IV. Abbatiam Burensem, dictam in pago Sondergeu, in Comitatu Sigmari Comitis sitam, ELENHARDO Episcopo Frisingensi, & illius Ecclesiæ, omni jure, & utilitate, quam Imperator ibi habuit, in proprium dedit ac tradidit, ita ut liberam potestatem habeat tenendi, construendi, & quicquid ad communem illius Ecclesiæ utilitatem voluerit, faciendi. A. C. cclxv. Extat diploma in libro traditionum Frisingensis Ecclesiæ.

Anno clæ. CCXLVIII. domestico igni totum Monasterium exuritur, sub OTHONE, Duce Meraniæ, Advocato, & OTHONE Duce Bavariæ, inter quos antea gravissimum bellum fuit, in quo Monasterium plurima mala & devastationes passum est; Vide *Aventinum libro septimo*.

In libro Foundationis Advocati & Abbates hujus Monasterii sequentes reperiuntur.

SIGMARUS juvenis Comes, tertius Advocatus, cujus pater ADALBERTUS, filius ADALBERO, uxor SIGMARI GERTRUDIS sub HENRICO IV.

SIGMARUS Advocatus dedit Monasterio, pro se & anima fratris sui ADALBERONIS interfecti, prædia in Phrumore *ex lib. trad. ibi*. De qua familia hi fuerint, an de Sempta, an vero de Husin, hoc est Andecensi, ut Aventinus in Epithomate ponit, non satis constat; Hundius putat fuisse Comites de Sempta.

BERNHARDUS Advocatus sub RAYMUNDO Abbate.

POPPO,

POPPO, Comes de Andechs, Advocatus sub WALTHERO, Abbate septimo, A. C. clō. C. XL. & XLIII.

OTHO Comes de Andechs, frater BERCHTOLDI, quem alias Marchionem vocant, sub ADALBERTO Abbate, A. C. clō. CLXXXV.

ADALBERTUS Advocatus, A. C. clō. CXLIX. sub CONRADO Rege.

OTHO Dux Meraniæ, sub GEBHARDO Abbate.

HENRICUS Abbas, A. C. clō. CCLII. quartus ante ipsum ejusdem nominis Abbas.

ORTHOLPHUS Abbas. Huic RUDOLPHUS Imperator regalia contulit, ac de administratione temporalium legitimè investivit, vocans ipsum Principem dilectum, A. C. clō. CC. LXXV.

HENRICUS Abbas, A. C. clō. CCLXXXVI. huic quoque RUDOLPHUS contulit regalia feuda principatus, quem obtinet, & hoc ad instantiam filiae suæ, Ducissæ Bavariæ, OTHO Abbas, A. C. clō. CCXII. Idem clō. CCCVIII.

EGGEBERTUS Episcopus Bambergensis, OTHO Dux Meraniæ, & Palatinus Comes Burgundiæ, & ALBERTUS Comes de Tyrol, A. C. clō. CCXXVIII. intercesserunt apud Abbatem Burensem GEBHARDUM, post obitum D. OTHONIS Ducis Meraniæ, defensoris olim in temporalibus quatenus Advocatiam illam filio OTHONIS conferret, quoniam ipse pro libitu eligendi Advocatum potestatem, & libertatem haberet, sub certis conditionibus & articulis jurejurando, & instrumentis confirmandis: Primo, ne illis detur Judex, nisi ad petitionem Abbatis & Conventus; secundo ne steuræ ab hominibus eorum extorqueantur; tertio, ne aliquis infra Parochiam judicium exequatur; quarto, ne res vel homines eorum sub jure advocatiæ ulli in feudum concedantur; quinto ne ab hominibus ipsorum, vel ab ipsis telonium accipiatur, in Wolfratzhausen, vel in Montanis.

BENEFACTORES hujus Monasterii, & alii, quorum in libro foundationum ibi fit mentio.

UDALRICUS de Elfindorf, vir nobilis, se cum conjuge & unica prole, ac omnibus bonis suis & possessionibus, scilicet Elfindorf, Surgeloch, Mages, Rufian, DEO ac S. BENEDICTO obtulit, tempore HENRICI IV. Imp.

ARNOLDUS de Aspach, vel de Lucilsteten, Nobilis domo, donavit Monasterio prædium Aichaim, quod à parentibus in Svevia, juxta Hilaram fluvium per successionem habuit, quodquod GUELPHO Dux, ejecta sua matre, per vim occuparat, &c. facta est hæc traditio, A. C. clō. CXLIII. sub WALTHERO Abbate I. & BERCHTOLDO Advocato.

Quædam illustis matrona, GISELA nomine, de Asmunting, locum sibi apud S. BENEDICTUM elegit, Marquardus maritus tertius, Agnes filia, Robertus & Goswinus, filii, Diethericus, frater Domini Marquardi de Dorf.

HENRICUS, Comes Andecensis, Marchio Istriæ, fundator Missæ ibidem, circa, A. C. clō. CCXXVIII.

OTHO Dux Meraniæ, Comes Burgundiæ, eodem tempore.

BERCHTHOLDUS & HENRICUS, Comites de Eschenloch, fundatores luminis perpetui, ad sepulturam progenitorum suorum, circa A. C. clō. CC. XXVIII.

BERCHTHOLDUS Comes de Eschenloch, filius Berchtoldi, instituit anniversarium ibidem pro remedio animæ suæ & progenitorum, A. C. clō. CCXCIII.

HENRICUS de Rotenburg, Magister Curiae OTHONIS Ducis Carinthiæ, Comitibus Tyrolis, UTO de Matrey Judex, GRIFO de Matrey, milites, HENRICUS de Ufenstain, fideles ejusdem OTHONIS, A. C. clō. CCIIC.

BERNARDUS liber de Weilhaim, A. C. clō. CCXXVIII.

D. HENRICUS de Weilhaim filius circa A. D. clō. CCLIII.

D. GEBHARDUS de Weilhaim circa annum clō. CCXCV.

EGIOLPHUS & GOTHARDUS de Andechs, Nobiles, circa annum clō. CCXXVIII.

GOTSCALCUS & LUDOVICUS de Widersperch.

EBERHARDUS & LAZARUS de Porta.

HENRICUS de Lechisberg, uxor Diemuet, filii eorum Philippus, Rupertus & Hermannus, tempore *HENRICI* anno cō. CCLII. contulerunt aliquid Monasterio.

HENRICUS & *OTHO* de Sechsenhausen, A. D. cō. CCXCI. *OTHO* dedit Huobam in Engelberting, anno cō. CCXCII.

D. DIETHERICUS de Pfluegdorf.

S. CONRADUS & *D. ENGELSCALCUS* de Wildenrot, anno cō. CCCIII.

D. HENRICUS de Tainingen, anno cō. CCXCV.

VERTINGUS & *HENRICUS* de Schmichen.

BERCHTOLDUS de Awe, sub *HENRICO* Abbate, anno cō. CCLV.

D. JOANNES Miles de Awe, anno cō. CCXIX.

D. CONRADUS der Reitter von Aw, A. C. cō. CCXCV.

BERCHTOLDUS de Fuoztain.

In antiquo libro foundationis seu traditionis circa annum cō. CCL. sequentes hujus Monasterii vasalli reperiuntur.

D. HENRICUS de Seeveldt.

D. ULRICUS de Rörmos, Vicedominus Ducis *LUDOVICI*, & filius suus *ULRICUS*.

D. WATTO de Geckrpeunt.

D. BERCHTOLDUS de Egolvingen.

D. HERMANNUS Wittolshover.

D. ENGELSCALCUS de Haldenberg.

WIRNT de Adelungeshoven.

HENRICUS de Seckenhausen.

D. DIETRICUS de Pfluegdorf.

D. HENRICUS de Pfetten.

D. CONRADUS de Duringenveld.

Item *H. TAININGER*.

Item *VERTINGUS* de Schmichen.

Item *BERCHTOLDUS* de Fuezstain.

Possidet amplissimum hoc Cœnobium corpus *S. ANASTASIE* Virginis & Martyris, quod circa A. C. cō. LIII. eo translatum est, ubi non raro cœlitus beneficia piis cultoribus exhiberi certum est. Ejus martyrium ita describitur. *ANASTASIA* Romana Prætextato viro clarissimo, Gentili tamen patre, & Faula matre Christiana nata est, quæ animi & corporis pulchritudine excellens in fide Christiana educata, & à *CHRYSOGONO* viro pio ejus mysteria edocta, à patre invita Publico viro quidem nobilissimo, at Christianæ religionis hosti acerrimo, matrimonio copulata est. Ea viro in administratione rerum publicarum occupato, vili amictu induta, unica ancilla se comitante carceres obibat, pecunia custodibus data martyrum corpora curabat, lavabat pedes, & caput, pilos tondebat, vulnera sanabat, cæteraque charitatis explebat officia. Confessores etiam pascebat, & fovebat. Quibus cognitis Publius illam in domestico carcere diu afflixit, quam tamen *CHRYSOGONUS* per litteras est consolatus; ac profecturus in Persidem vinculis constrictam reliquit, in eam post reditum animadversurus. Sed eo in itinere defuncto, *ANASTASIA* libertati pristina restituta, pristina officia pietatis resumpsit, bonis in usus confessorum, & martyrum obsequia erogatis. Cum autem Diocletianus Aquileiæ *S. CHRYSOGONUM* morte affecisset, & post illum *AGAPEN*, *CHIONIAM*, & *IRENEN* sorores in *CHRISTI* confessione constantissimas martyrio coronasset, illarum corpora *ANASTASIA*, quæ eo Roma profecta fuerat, ut martyribus inserviret, pretiosis unguentis delibata sepeliit. Quod cum aliis martyribus fecisset, agones illorum deplorans, deprehensa ad Florum Illirici Præsidem producitur, qui illam ob summam nobilitatem non ausus attingere, Romam ad Imp. misit. A quo interrogata: *Ubi aurum, ubi opes à patre tuo viro clarissimo, & Deorum amico relictae?* Respondit: *Si aurum haberem, quo DEI servis subvenirem, non me tibi tradidissem. Nunc, omnibus erogatis, quod reliquum est, corpus CHRI-*
STO

STO meum offerre statui. Quibus dictis, Præfecto examinanda traditur; qui ea frustra blanditiis & minis deterrita, Ulpianum Capitolii Pontificem actu pollentem accersit, ut *ANASTASIAM* aliqua fraude ad impietatem alliceret. Sed cum hic nihil profecisset, quod illa ad omnia mala perferenda paratissima erat, dolens quod suum martyrium differretur, tridui inducias ad deliberandum martyri concessit; quæ ad Ulpianum: *Cogita jam hos tres dies elapsos esse: nam eadem animi, quæ nunc, tunc erit sententia.* Triduo transacto, in quo mulieribus gentilibus depravanda tradita omnis cibi & potus expers fuerat, Deum precata, ne optata martyrii palma frustraretur. Ulpianus ad eam accedens quasi aliquid inhonestum attentaturus, repente oculis captus est, nec multo post acrius doloribus cruciatus interiit. *ANASTASIA* autem liberata ea molestia, paulo post à Floro Illyrici Præfecto, quod *THEODORAM* matronam ad martyrium animasset, carcere diu inclusa, in Palmariam Insulam cum CC. viris, & LXX. fæminis deportata, ibi pedibus, manibusque extensis ad palos ligata, & circa eam igne accenso martyrium consummavit, corpore ejus ab igne nil læso, sociisque vario genere mortis interfectis. Passa est anno Christi CCC. VIII. Kal. Januarii. *Ex ejus Pass. à Sur. tom. 6. Petr. lib. 2 c. 2. Monbr. tom. 1. & ab al. rel. Catal. SS. Italia.*

Corpus ejus Trojæ in Apulia, ubi ea maximè colitur, quiescere fertur. Sed in Germaniam ad hoc BURENSE Cænobium translatum esse, vetustissimis monumentis credimus: ubi non solum ejus caput, verum etiam ossa corporis sacri, ingentis proceritatis Heroidem referentia, ostenduntur.

Circa A. C. clō. DL. floruit in eodem Cænobio R. P. F. FLORIANUS Treflerus, vir eloquentiæ singularis, ut orationes ab eo editæ demonstrant: Impressæ sunt Augustæ Vind. apud Philippum Ulhardum, anno prædicto, & sæpius.

MONASTERIUM

NIDERNALTAICH, DCCXLI.

ALTAACHIUM seu ALDECHIUM inferius, germanice *Nidern-Altach* ad differentiam superioris Altachii, & à veteri quodam ex quercubus constante luco sic dictum. *Fama manet*, inquit M. Velserus, *lib. 5. rer. Boic. nec à nominis ratione, nec à vero abhorrens, stetisse iis locis ad Danubii ripam prægrandes & annosas quercus, Deorum superstitioni dicatas, quas victimarum sanguis sæpe resperserit, Bojos, postquam gentilem errorem excussere, excidisse, ecclesiis Christiano ritu substitutis. Nam Maximus Tyrius, ex Platonis schola Philosophus altissimam olim quercum pro Jove Celtico cultam scriptum reliquit.*

Situm est hoc amplissimum magnificentissimumque Cænobium in Bavaria inferiori ac Pataviensi Diœcesi, in sinistra descendens Danubii, ad unum miliare Germanicum, infra Deckendorf civitatem Bavaricam, prope Hengersbergensem Marcam (quæ hodie adhuc eidem Cænobio subest tota) sæcundo solo, & peramæno loco situm: Fundatum legitur consilio S. PIRMINII Episcopi, ab UTILONE Duce Baviaræ in honorem S. MAURITII, Anno DCCXLI. sub ZACHARIA Pont. Max. & subinde licet ab eodem Duce UTILONE multis prædiis & possessionibus ditatum, bellis tamen & incendiis vastatum & attenuatum fuit. Instauratum vero est per Imperatores & Reges Romanos, qui illud maximis muneribus & privilegiis auxerunt. Auctum etiam & ditatum est ab HILTRUDE Regina, ejusdem UTILONIS Conjuge, ac PIPINI Francorum Regis sorore. THASSILO quoque filius UTILONIS, plurima prædia huic Monasterio dedit, quorum magnam partem per discordiam Principum amisit.

CAROLUS Magnus tradidit huic Monasterio privilegia immunitatis, illudque multis prædiis dotavit, A. D. DCCXII. LUDOVICUS item junior munificentissimus huic loco fuit, nam non solum privilegia, & immunitates eidem tradidit, sed etiam

in suam tutelam recepit, & ab omni exactiōe & onere exemit, addens duas Ecclesias Ingolstadii (nunc celebris Academia civitas, tunc tantum villa erat) & curtem Dominorum illic existentem, vulgariter *den Herrenhoff*, cum centum & triginta agri jugeribus, pratis item quæ faciunt CD. fœni vehicula, cum servis & ancillis in eadem curte degentibus, cum omnibus item bonis ad eadem pertinentibus hoc est, campis, silvis, pratis, pascuis, equis, aquarumque decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus. Actum in Regio Palatio Heiligbrunnensi XVIII. Augusti DCCCXL.

Postea circa A. D. DCCCXLIII. GOTSBALDUS Abbas impetravit à GREGORIO IV. PONT. MAX. corpora SS. Martyrum FELICISSIMI & AGAPITI in Iserhoven collocata, unde extant in vitro Chori ad S. STEPHANUM tales versiculi.

Sunt à GREGORIO Romano Præsule Quarto

GOTSBALDO de ALTHA Sanctorum tradita membra.

ARNOLDUS, Dux Baviaræ, dictus malus, ambiens Imperium & rebellans CONRADO & HENRICO Aucupi Rom. Regibus, pleraque hujus Monasterii bona tam in Austria, quam in Bavaria diripuit, ac militibus suis distribuit; hinc norma monastica ibidem defecit, tamen sub regula Canonicorum usque ad tempora OTTONIS III. quasi per centum annos permanfit, qui consilio S. WOLFGANGI Ratisponens. & PILIGRINI Pataviensis, Episcoporum, eundem locum Regulæ priori S. BENEDICTI restituit, & collapsas res Monasterii præclare & feliciter denuo instauravit, ejusque auxiliis ERCHAMBERTUS Abbas præfectus est, Anno CMXC. Sub ejus regimine Monasticen professus est S. GOTHARDUS, qui ad ALTACHIUM inferius, honestis parentibus, patre RATMUNDO dicto natus ibidem primum sacrorum ordinum gradum hypodiaconi indeptus, vel à FRIDERICO, Archiepiscopo Salisburgensi, ut habet Hundius, vel à CHRISTIANO Pataviensi Episcopo, qui dictum Cœnobium ceu beneficiarius gubernabat, ut est in vita apud Surium, postea etiam Diaconus ordinatur, & Præpositus Canonicorum instituitur, à PILEGRINO Pataviensi Episcopo, ut iterum tradit Hundius. Verum hæc nimis confunduntur, PILEGRINUS enim CHRISTIANUM, in Episcopatu præcessit, ut constat ex Catalogo Episcoporum illius Ecclesiæ. Post à S. WOLFGANGO Sacerdotio initiatur, tandem Cœnobio Abbas præficatur, cui pie & laudabiliter præfuit annis XXVI. Consecutus est aream in Ratispona ab HENRICO Imp. Anno MII. Condidit primum insigne Sacellum super Hengerspergensen Marcam in peramano colle situm, quod S. TRINITATI ac beatissimæ VIRGINI MATRI, consecratum ac dicatum est à WERNHERO seu Berengero, Pataviensi Episcopo ipsa die Purificationis B. MARIE.

Addidit vero eidem Ecclesiæ aliud etiam sacellum B. BENEDICTO dedicatum. Habuit in commendis etiam HERSFELDIAM præpotens HASSIÆ Monasterium, ubi cum collapsam disciplinam reformasset, illius præfecturam reliquit ARNOLDO, ejusdem loci antea Præposito Anno MXI. ipse vero ad ALTACHIUM se recepit, illudque summopere excolere atque ornare conatus est, puta codicibus, sacris vestibus, ad divini sacrificii ministerium pertinentibus, aliisque variis & utilibus Ecclesiæ ornamentis: imprimis autem, quod quidem compertissimum est, per multos illic fratres scientia & morum integritate insignes atque spectatos enutrivit, quos postea, Rege & Episcopis id petentibus, in diversa monasteria patres & doctores ablegavit. Cum vero esset vir literis & vitæ sanctimonia clarus, ad HILDESHEMENSIS Episcopatus clavum ac gubernaculum avocatur Anno MXXII. ubi munus Episcopale, quod invitatus suscepit, magna cum laude XVI. annis religiose gessit: Ecclesias, Monasteria, & Xenodochia plurima erexit.

Inter opera supra naturam mirifica ab eo patrata, etiam hoc narratur. Perduelles ex subiectis quosdam anathemate ictos cum sacrificii tempore templo de more excedere jussisset; illique contumaces restitarent, ex dudum sepultis, quos anathematis vincula strinxerant, de tumbis surgunt, templumque egrediuntur; quos pudore suffusi, vivi illi rebelles etiam sequuntur. GOTHARDUS adhortatione acri ad
sub-

subjectos, quibus mortuos obsequentiores haberet vivis adhibita, defunctos censura soluit, qui capita pontifici inclinantes ad suum quisque tumulum redeunt. Decessit Anno Christi MXXXVIII. Multa ubique mentio sanctissimi viri, quem INNOCENTIUS II. P. M. in Viennensi Concilio Divorum Albo adscripsit MCXXXI.

Eodem S. GOTHARDO Abbate Anno Christi MVIII. fundata & inchoata est praepositura quaedam RINCHNA dicta, tribus ab ALTACHIO milliaribus versus montana & nemora Bohemica sita, à S. GUNTHERO Monacho ALTACHENSI & primo RINCHINENSI Eremita, qui illic ad sui nominis saluberrimum fontem, precibus & jejuniis Deum strenuissime coluit.

Fuit hic cognatus S. STEPHANI Pannonum Regis, apud Turogos regia stirpe oriundus. Cum vero ex ephebis & adolescentia etiam excessisset, vitæque eum solutioris admodum pæniteret, vocatis in consilium cogitationibus, cepit fastidire omnia praesentia, caelumque toto pectore ardere. Abit itaque ad Cœnobium, genus vitæ orditur laboriosum, nec satis expedit rationes fortunarum, quibus abundabat, donec sæpedictus Abbas S. GOTHARDUS, illum severiore periculi denunciatione territum firmavit. (1006.) Exin ingentes facere progressus in curriculo virtutis, opes omnes negligere, seipsum abjicere, parere non majoribus, sed paribus & humilioribus etiam, severe in se animadvertere, nec legibus aliorum rigidis contentum, addere insuper alias corpore afflictationes, & paulatim in sanctitatis opinionem venire.

Jam ad STEPHANI Regis aures fama cognati delata, etiam animum incenderat cupidine GUNTHERI coram spectandi, allegantur ad ipsum, qui humaniter invitent ad Pannonias & regem visendum; recusat ille, praefatus, se in alterius regis & CHRISTI auctoritate esse, omnibus propinquitatibus defunctum. Sed iterum ac tertium vocatus, cum fausta religiosorum imprecatione se cum legatis dedit in viam, salutatus à rege ingenti gaudio perfuso, regioque epulo exceptus, à carnibus tamen omnino abstinuit. Sed iterum ac sapius à rege fatigatus, uti saltem ex pavone apposito aliquid gustaret, ne durus in regem & hospitem, & cognatum videretur, nihil ille quidem de alite attigit, sed capite in manus fuso, Deum precibus & lachrymis adiit, ut sine offensa Regis, salvis suis legibus à mensa surgeret: impetravit, ut rediviva avis è patina ingenti prodigio avolaret: unde Rex, omnisque aula attoniti, de cætero GUNTHERUM urgere ad gustandas carnes desierunt.

Tertio autem à conversione sua anno, ipse cum aliquot familiaribus inde in saltum Narwaldensem Bohemiæ bona sui Abbatis venia secessit, (1008.) ibique septem & triginta annos religiosissime vixit, in sanctæ religionis studio & in summa voluntaria paupertatis severitate cum fociis suis perseverans.

Victus eorum sane varius erat, vario studio à rege Hungariæ, atque è Bohemia & Polonia aliisque diversis provinciis una cum vestitu conquistus. Potus quidem, quod omnibus notum est, non nisi aqua sola fuit, quæ etsi hospitibus apponebatur abunde, at fratribus tamen non nisi ad certam mensuram. Literas ille profusus ignoravit, psalmis exceptis, & tamen mira erat præditus evangelii, legis & prophetarum intelligentia, nec historiarum rudis fuit: quam ille intelligentiam consequutus fuit tum ex crebra fratrum relatione, tum ex avida verbi DEI auscultatione: adeoque sæpissime ille mysticos & arcanos sensus interdum jocando, interdum verò adhortando non sine audientium stupore proferebat. Erat profecto vir ille, ut de S. BENEDICTO scribit B. GREGORIUS, quem post Dominum JESUM vita & moribus præcipue imitabatur, & *scienter nescius*, & *sapienter indoctus*.

Vixit autem postea etiam 5. annos in ulteriori eremo Breznich, quoad à BREDSLAO Sarmatarum & Boëmorum principe venationibus intento deprehensus, in alterum illi diem suum è vita discessum post diurnam & religiosam fermocinationem aperuit; qui prima luce cum SEVERO Antistite ad ostium GUNTHERI adest, caelestem agnum in viaticum porrigi jubet; ubi ille inter piorum lachrymas & vota exspiravit, anno Christi clo. XLV. VII. Idus Octobris. Corpus per jumenta

jugi infueta ad BRUNOVIENSE Cænobium deductum, prodigiis vitæ prioris sanctimoniam ostendit, ipse cœlestibus post religionibus consecratus.

Porro Cænobium RINICHNACHENSE, cujus idem auctor fuit, ALTACHENSI inferiori per HENRICUM Imperatorem ipsius rogatu GUNTHERI subiectum, adjecit KUNIGUNDIS & GISELA illa HENRICI sponsa, hæc CONRADI conjux prædia & silvas, alique principes auxere.

Ejusdem Ecclesia consecrata est à BERENGERO Episcopo, in honorem S. JOANNIS BAPTISTÆ, DEIPARÆ VIRGINIS, & S. CRUCIS, Anno MXIX.

ALTACHENSE vero Cænobium totum fere igne periit, Anno Domini MXXXIII. IV. Non. Martii. Reædificatum à fundo ab Abbate hujus loci RATMUNDO, S. GOTHARDI ex sorore nepote (qui plurima emit prædia, multumque terræ incultæ excoli fecit) auxilio ejusdem sancti, tunc Hildeshemensis Episcopi, & RICHERII Abbatis Casinensis, Anno MXXXVII. Consecratum iterum divino honori XI. Kal. Octobr.

In hoc ipso Cænobio se contubernio S. BENEDICTI addixit S. THIEMO, qui & THEODAMARUS & DIETHMARUS à quibusdam vocatur, inde evocatus SALISBURGI S. PETRI Cænobio præfectus, post etiam ejusdem urbis Archipræsul, ac tandem clarissimus Christi Martyr evasit Anno Christi, c. Cl. IV. Kal. Octobr.

Deinde anno circiter c. CCXXXIII. DIETMARO III. hujus nominis Abbate (qui per Hermannum Monachum impetravit à Gregorio Papa mitram, uti tradit Hundius ex Aventino) nova dissensione coorta inter Bertholdum & Albertum Comites Pogenfes unius, & Raphatonem ac Henricum Comites de Ortenberg, alterius partis; Monasterium rapinis, incendiis ac suorum hominum captivitatibus, jumentorum abactionibus misere quassatum & vexatum est Hengersbergensis Marca, & Althachensis Villa incendio vastata sunt, templa parochialia undiquaque miro sacrilegio effracta, calices & alia ornamenta templorum piis usibus dicata, prophanata & ablata, pecora & armenta abacta sunt: ita ut Abbas & Conventus fecerint in hac calamitate jacturam viginti millium Rhenensium aureorum.

Posthæc anno Domini c. CCLXII. HERMANNUS Abbas HENRICI Ducis inferioris Baviaræ liberorum lustricus Pater, Historiographus, & Chronographus sui Cænobii, B. VIRGINIS Sacellum Hengersbergense in superioribus tumultibus direptum & vastatum, placare renovavit, & denuo consecrari fecit per ANSELMUM Legatum summi Pontificis, consensu OTHONIS Pataviensis Episcopi.

Huic etiam Cænobio incorporata est Præpositura Cænobioli Benedictini in AUGIA B. VIRGINIS ad Fledinczium amnem, Richingensi vicina, quæ fundata est Anno Domini c. CCCXLII. ab HERDWICO Milite de Degenberg (cujus germanus frater erat RUGERUS Abbas Altachensis) ope LUDOVICI Bavari Imperatoris, qui & Altachensis Monasterii benefactor munificus fuit, sicut & alii prædecessores ejusdem Imperatores & Baviaræ Duces: præsertim S. HENRICUS, CONRADUS SALICUS, HENRICUS III. FRIDERICUS I. CONRADUS III. CAROLUS IV. quorum donationes, & immunitatis privilegia diligenter annotavit Hundius in Metropoli Salisburgensi.

MONASTERIUM

TEGERNSE DCCXLVI.

AAMPLISSIMUM hoc atque perquam magnificentum Monasterium ad lacum Tegerensem, in superiori Vindelicia intra Ilaram & Oenum in faucibus Alpium circa Annum Domini DCCXLVI. conditum, quod cetera quam late Boica patet, splendore & dignitate multis modis superat, fossa & propugnaculis in regiæ speciem

speciem cinctum, nam & Abbas ministris ex equestri nobilitate, Principum more utitur, & vero Principis aliquando nomen ab Imperatoribus tulit, ut patet ex privilegio LUDOVICI IV. anno Domini cō CCCXXI. dato.

Condidere ADALBERTUS & OTCHARIUS Tegerenses Comites, five GRIMOALDO Duce, five patre HARTWICO Burgundo, matre Boja nati, duplex enim hic quoque fama est.

Vetustorum diplomatum (*Ottonis 2. & Henrici 6.*) fide hætenus liquet, illustri genere ortos, quod Reges propinquitate attingeret, cetera fere obscura sunt, Romam religionis causa profecti, cum omnia hostium incursionibus vasta, urbem luctu & pavore oppletam reperissent, commoti homines militares, qui primam pietatem interpretarentur, sacrorum sedem inultam indefensamque non relinquere, sese Romanis duces eosdem vindictæ, & socios periculi præbuere. Nec mora, hostes aggressi secundis aliquot præliis, egregia virtute, ingentem gloriam pepererunt. Magna factum sequuta gratia, Pontifex egregii muneris loco, S. QUIRINI corpus petentibus concessit, quod in TEGERENSI Ecclesia sancte adhuc colitur.

Reverfos, ardens adeo religionis studium subiit, ut posthabitis quæ apud mortales ceteroqui prima sunt, monachorum instituta, in monasterio quod ipsi condiderant profiterentur. Major fratrum ADALBERTUS, Abbas dictus, centum quinquaginta monachis præfuit.

Quæ post per CC. ferme annos gesta fuerint, obscura permanferunt, neque in Annalibus quidquam reperitur; nisi quod anno Domini CMLV. Hungaris Noricum & Alemanniam sæve devastantibus, hoc Monasterium quoque crudeliter devastatum & igne exustum fuit, cum prius etiam per ARNOLPHUM Ducem despoliatum, & bona illius militibus beneficii loco concessa fuissent.

Instauratur itaque per OTHONEM II. Imperatorem, & OTHONEM filium LUITOLPHI, fratris OTTONIS II. Ducem tum Bojariæ & Sveviæ, qui Monachis Cœnobium cum prædiis restituunt, HARTWICUM Abbatem S. MAXIMINI Treveris huic loco præficiunt, profanis, qui locum sacrum occupaverant, procul ire iussis. HARTWICUS ipse benedictionem accepit ab Abrahamo Episcopo Frisingensi, Anno Domini CMLXXIX.

Huic etiam loco ab anno salutis cō. I. S. GOTHARDUS Altachensis & Hersfeldensis Abbas, & postea etiam Hildesemensis Episcopus, aliquamdiu præfuit à S. HENRICO eam ob causam præfectus, ut reformaret locum insolentia Monachorum pene collapsum.

Postea anno gratiæ cō XXXV. Monasterium igne periit, & sequenti anno à furibus spoliatum est.

Anno dehinc cō LIII. SEIFRIDO Abbate præsidente, corpora SS. Martyrum CHRYSOGONI & CASTORII à quodam fratre à Verona, ex Monasterio S. MARIÆ ad organa, ad hoc Monasterium translata sunt.

Anno cō. CL. EUGENIUS III. hujus Monasterii privilegia confirmavit, illudque sub protectionem sedis Apostolicæ recepit. Idem fecit ALEXANDER III. Anno cō C. LXXVIII. Item URBANUS III. Anno cō CLXXXVI. qui & confirmavit usum Mitræ & annuli ab ALEXANDRO antea concessum.

Exinde PERCHTOLDO hujus nominis I. Abbate, hoc TEGERENSE Cœnobium cum aliis vicinis, per LUDOVICUM Ducem Baviariæ, & OTTHONEM Comitem de Phallai, in bello, quod contra HENRICUM Marchionem Istriae, tunc Advocatum Monasterii, gesserunt, misere desolatum & vastatum est. Deinde Anno cō. CCXI. ob dissidium MANEGOLDI Episcopi Pataviensis, (erat hic BERCHTOLDI Comitum Bergensis & GISALÆ Comitissæ Andecensis filius, ex Chremphanensi, etiam Tegerensis Abbas, & post Anno cō. CC. VI. Episcopus electus) & cujusdam RAPEFONIS, Comitum Palatini Baviariæ, de familia Comitum Ortenbergenfium huic Monasterio, cum quibusdam aliis, grave damnum illatum, postea Anno cō. CC. XIV. tertia vice igne exustum est.

Anno cō CDXXIV. anterior pars Chori inter cænandum corruit, Altare S. CHRYSOGONI una cum arca, in qua sacrum ipsius corpus asservabatur comminuit salvis tamen reliquiis.

Tempore CASPARI Abbatis (qui ob egregia merita alter fundator dictus, Monasterii instaurator, reformator, locupletator, totum Monasterium fere ex novo construxit & obiit anno cō CDLXI.) inventa est vena Petrolei, quod S. QUIRINI vocatur.

Perillustre hoc Cænobium inter præcipuos fautores & benefactores numerat OTTHONEM II. S. HENRICUM, CONRADUM II. HENRICUM III. & VI. FRIDERICUM I. & II. ac LUDOVICUM IV. & V. Rom. Imp. & alios plures principes, qui illud donariis & privilegiis mirifice exornarunt, quæ ab Hundio in Metropoli annotantur.

Habuit idem Cænobium, quod etiam supra insinuavimus, quemadmodum cæteri tam Ecclesiastici, quam seculares Principes Imperii, ministros ex equestri nobilitate, Marescalcum, Camerarium, Magistrum Coquinæ & Pincernæ.

MARESCALCI officium una cum pertinentibus prædiis & redditibus, olim WICKNANDO de Iringspurg, OTTONI filio & successoribus masculis, Anno cō CCLXXXVI. fuit concessum, quibus defunctis, succedere in officio Nobiles de Thor, sicut in castro Irinspurg.

CAMERARII fuere olim Nobiles de Warngew, post Nobiles de Pienzenaw.

ARCHIMAGIRI officium, quod alias *Eruchsfassen Ampt* dicitur gerebant aliquando Nobiles de Hochenrain, postea Nobiles dicti Turndl, tandem Nobiles de Höchenkirchen.

PINCERNÆ feu Pocillatoris officium olim habebant Nobiles, dicti de Eling: Postea Sunderndorffer.

Inter præcipuos hujus Monasterii Patronos numerantur SSs. Tutelares, QUIRINUS, CHRYSOGONUS, CASTORIUS, Martyres Romani omnes, quorum sacra Lipsana, ut supra notatum est, huc translata sunt, & eorum historia brevibus sic comprehenditur.

CLAUDIO GOTHICO annum secundum in Imperio agente, à salute nostra Anno CCLXX. quidem è Perside Christiani Romam venerunt ad orationem Apostolorum, MARIUS & MARTHA ejus conjux, cum filiis Audiface & Abachum. Hi cum pervenissent Romam, studuerunt sollicite inquirere corpora sanctorum quæ erant in cæmeteriis, & Christianos invisere qui detinebantur in carcere. Et cum venissent in carcerem trans Tiberim positum, conspiciunt hominem fidelem, QUIRINUM nomine, qui pro CHRISTI nomine multa verbera perpeffus fuerat, & suis facultatibus spoliatus. Ad quem venientes, miserunt se ad pedes ejus obsecrantes ut pro ejus oraret. Ibiq; manserunt diebus octo ministrantes beato QUIRINO, & aliis qui ibidem erant, lavantes pedes eorum qui vinculis tenebantur constricti; & ipsam aquam super capita sua ac filiorum suorum spargebant.

Eo tempore jussit Claudius, ut Christiani, qui inventi fuissent in vulgo, aut in carceribus, sine interrogatione punirentur. Ipso autem edicto promulgato, tenuit ducentos sexaginta duos Christianos, qui damnati ante fuerant ad fodiendam arenam via Salaria pro nomine CHRISTI: quos ductos Romam, & in amphitheatrum inclusos, milites sagittantes interfecerunt.

MARIUS & MARTHA hæc scientes, contristati sunt vehementer, & una cum filiis & beato JOANNE presbytero venerunt ad corpora sanctorum martyrum, quæ ex igne sublata subtraxerunt, & in lintheaminibus involuta sepelierunt in crypta, via Salaria, in Clivo Cucumeris: simul etiam sepelierunt Tribunal Claudii nomine BLASIVM: quo in loco permanentes, vigiliis & jejunia & orationes multis diebus cum Joanne celebrarunt.

Audiens hæc CLAUDIUS, curiose jussit perquiri MARIUM & uxorem ejus: & non invenerunt, quod occulte istic agerent. Venientes vero Romam ad carcerem, requirebant beatum QUIRINUM: quem non invenientes contristati sunt: sed invenerunt presbyterum nomine PASTOREM, qui enarravit eis, quomodo noctu beatus QUIRINUS

NUS gladio fuerat interfectus, & jactatus in Tiberim. Corpus ejus remanserat in insula quadam. Quo audito perrexerunt noctu cum familia sua & PASTORE presbytero, & collegerunt corpus ejus, & sepelierunt in cœmeterio PONTIANI in crypta, VIII. K. Aprilis.

Sacræ corporis reliquiæ; post annos à perpetrato supplicio propemodum quingentos, Bojorum Principum pietate ad TEGERENSES deportatæ, condito monasterio, ut ante diximus, insigni venerationis cultu hætenus habentur.

Ante annos totidem & eo amplius, METELLUS monachus, vitæ necisque historiam, & multa quæ deinde rerum miracula consequuta sunt, operosissimo carmine, in quo sibi, sæculi vitio, molestas difficilesque parodiarum, & similiter cadentium versuum leges præscripsit, complexus est.

S. CHRYSOGONUS verò, DIOCLETIANO Imp. Romæ inclusus in carcere, ibi biennium S. ANASTASIÆ facultatibus vixit: quam etiam afflictam propter CHRISTUM à viro suo Publio, proptereaque à suis orationibus per literas auxilium postulantem, mutuis epistolis est consolatus. Interea DIOCLETIANUS Romam scripsit, ut reliquis Christianis, qui in vinculis essent interfectis, CHRYSOGONUS Aquileiam ad se duceretur.

Tum Imperator: Accertivi, inquit, te Chryfogone, ut honoribus augeam, si modo induxeris animum Deos colere. At ille: Ego eum: qui vere est Deus, mente & oratione veneror: deos autem, qui nihil sunt nisi dæmonum simulacra, odi & execror. Quo responso exandescens Imperator, ad Aquas Gratas cum securi percuti jubet, VIII. K. Decembris, cujus corpus projectum in mare, paulo post in littore inventum ZOILUS Presbyter in suis ædibus sepelivit. Passus est circa annum CHRISTI CCC.

Est Romæ vetus titulus S. CHRYSOGONI, cujus mentio habetur in Concilio sub SYMMACHO celebrato; eumque GREGORIUS II. ornavit, donisque auxit.

S. CASTORII autem nomine duo celebres habentur; prior cum CLAUDIO Commentariensi, NICOSTRATO primisericinio, VICTORINO & SYMPHORIANO à S. SEBASTIANO ad fidem CHRISTI conversus, & à B. POLYCARPO Presbytero baptizatus est.

Eundem cum sociis in perquirendis factorum martyrum corporibus occupatum Fabianus Judex comprehendi jussit, & per decem dies minis & blanditiis exagitans, cum in nullo penitus posset commovere, jussit tertio torqueri, ac postea in mare præcipitem dari. Is Non. Julii sacris fastis adscriptus habetur.

Diversus omnino ab hoc est alter S. CASTORIUS qui cum sociis iisdem cum superioribus nominibus appellatis, sub DIOCLETIANO Imp. passus est; quod cum essent, summi sculptores, nullo modo adduci potuerant, ut idolorum statuas facerent: & ad Solis simulachrum ducti ut illud venerarentur, numquam commissuros se dixerunt ut adorarent opera manuum hominum.

Quam ob rem in carcerem coniecti, cum ibi multos dies in eodem proposito perstitissent, primum scorpionibus cæsi, deinde vivi plumbeis loculis inclusi, in flumen dejiciuntur. Exstat in urbè Ecclesia sub nomine Sanctorum quatuor Coronatorum, ubi horum quinque martyrum corpora honorifice sepulta sunt, & eorum festivitas VI. Id. Nov. celebratur. Passi sunt circa annum Christi CCC.

Hujus posterioris venerabilis TEGERENSIUM Congregatio corpus possidet, ejusque solennem memoriam prædicto die celebrat.



MONASTERIUM

THIERHAUPTEN DCCXLXX.

THIERHAUPTEN superioris Bavariae celebre Cœnobium, ad Achium pisculentissimum rivum, non procul à Lico, tribus ab Augusta Vindelicorum, & totidem à Danubiana Peninsula, ubi nunc Werdaea Suevica, percelebris Imperii civitas; duobus vero à Rhaino Bavarorum oppido milliariibus, in colle (ex quo & Augusta & Donawerda videri possunt) ad ejusdem nominis amplum pagum, fecundo & maxime fertili loco situm: dictum ab animalis seu feræ capite; sed non ob eam rationem, quam Bruschius prodidit, quod nempe in venatione ibi THASSILONIS Ducis filium trucidari, id enim alibi accidit. Nam major filiorum THASSILONIS GUNTHERUS, Laureaco sub brumam venatum egressus, in raræ magnitudinis aprum forte incidit, propter fontem & piscinam, quam hinc nomen traxisse ajunt: comitibus per sylvam dilapsis, animum solitudine non despondens, venabulo objecto, feram strenue excipit, & luculento vulnere conficit: ipse vicissim à dolore & furore percita consauciatur, ambo in eodem vestigio corruunt. Ibi canis latrantis indicio repertus, magnæ indolis adolescens, miserandum suis in tam tristi exitu præbuit spectaculum. Pater, quantum maximum potuit, sepulturæ honorem habuit, templo cum monasterio magnificentissime excitato, & amplissimis redditibus instructo, quod à præfluente Chremsa nomen traxit. VALDERICUS, VIRGILIUS & SIMPERTUS Episcopi dedicarunt, HADRIANUS Pontifex, AGAPITI Prænestini martyris corpus, Roma honoris causa dono misit.

Hoc verò Thierhauptanum fundatum est ab eodem THASSILONE circa A. C. DCCLXX. non L. ut Bruschius & Hundius prodidere, cum eodem anno rerum necdum potiretur, & vixdum octavum ætatis annum ageret.

Natus est enim eodem anno DCCXLII. quo CAROLUS Magnus, quarto decimo anno rudimentum Martis in PIPINI castris posuit, proximo anno se, gentemque totam in PIPINI clientelam dedit, quem altero & vicesimo deservit, nescio quomodo vel à PIPINO, vel officii aulicis offensus, & rupto primum fœdere domum ad UTILONEM patrem refugit, uxorem dein LUITPURGAM Desiderio Longobardorum Rege natam, duxit, cum annum ageret octavum supra vigesimum. Suscepit ex conjugè geminos virilis stirpis liberos, GUNTHERUM, ab apro in venatione interemptum, & THEODONEM stirpis ultimum ab HADRIANO Pontifice Romæ sacro fonte lustratum; tanta fuit THASSILONIS pietas, ut ipse filium Romam portaret, ut à summo orbis parente Christianis sacris imbueretur. Hoc verò offendit THASSILO, quod pactis non steterit cum PIPINUM & CAROLO Magno initis; quin & arma contra movere LUITPURGA instigante sæpius conatus, tandem regno, & potestate exutus, reusque Majestatis veniam ea conditione impetravit, ut in Monachum attonsus privatam cum filio vitam coleret. At pietas adversus cœleste Numen & omnes cœlites fuit in THASSILONE singularis: quis ex Bojorum principibus plura cœnobia condidit, quis desita instauravit, THASSILONE? ille CREMISSAM, ille THIERHAUPTUM, idem MATSEUM, CHIEMSEUM geminum virorum ac Virginum à fundamentis excitavit, idem S. VALENTINI sacrum corpus Tridento Batava, S. CORBINIANI Majis Frisingam, B. VIVILONIS Laureacensis Archiepiscopi Batava summa cum religione transtulit, Batava civitatem Episcopo cum fundis & prædiis amplissimis consecravit, Salisburgensem Ecclesiam donis plurimis auxit. Denique vitam Laurissæ nobili Cœnobio humili tectus cultu sanctissime finivit. Miranda quædam opera mortem ad ejus tumbam secuta, vetera monumenta testantur ejus Epitaphium tale fuisse ferunt:

THASSILO Dux primum, post Rex, Monachus sed ad imum,
Idibus in ternis decesserat iste Decembris.

Hæc

Hæc de fundatore. Auctum vero, & locupletatum est THIERHAUPTUM à LOTHARIO Imp. LUDOVICI Pii filio, A. C. DCCCXLVI. Devastatum vero & destructum ab Hunnis A. D. CMLV. Secundo erectum & auctum est à GEBHARDO Ratisponensis Ecclesiæ Episcopo, Comite Andecensi Dieffensi & Hohenwarttensi secundum Aventinum, non Witelspacensi, ut Bruschius opinatur; necnon à fratre prædicti GEBHARDI Episcopi Comite RAPOTHONE, fundatore Hohenwartensis Monasterii, ac HEMMA ejus conjugæ (quam Bruschius alibi Ducissam Austriæ, alibi vero Comitissam Werdææ vocat, quod verisimilius est) A. C. cl. XXII.

Contulerunt autem huic Monasterio & Witelspacenses Comites multa bona. Matthæus Marefcalcus de Biberbach vicino castro, Canonicus Augustensis, in libro suo de Calatinis, c. 50. & 79. refert aliquas inscriptiones in hoc Monasterio extantes, de Palatinis Witelspacensibus, & eorum traditionibus Dominæ GEBBA de Pach piissima ac nobilissima fæmina summa hujus Monasterii benefactrix, quæ & aurea & alia pretiosa ornamenta plurima dedit.

Sub JOANNE Abbate XIX. viro magni ingenii & consilii, LUDOVICI Bavarie Ducis Consiliario bene merito, incendio periit hoc Monasterium per eundem magnifice restauratum, Anno Domini cl. CDIII. Incendio collapsum fuerat etiam antea, circa A. C. cl. CCCL. at per HENRICUM de Höchstetten Abbatem studiose fuit reparatum. Postea cum diu in deformatione jacuisset idem Monasterium, MELCHIOR Abbas SS. UDALRICI & AFRÆ Augustæ, jussu & permisso LUDOVICI Bavarie Ducis, misit illuc Priorem suum HENRICUM Hotz, qui ibi decennio Abbas præfuit. Post eundem varios commendatores habuit, etiam seculares, qui sua potius quærentes ad maximas angustias res ejusdem deduxerunt; donec in bello Bavarico hoc Cænobium, una cum pagis suis misere vastatum est.

PETRUS Wagner, qui ex Augustano S. UDALRICI Monasterio evocatus, huic loco tum præsidebat, hæc mæstus videns, biennio exulavit Augustæ, is sua manu testatur: *Ignem in templo grassante, Venerabile Sacramentum more Catholico ibidem asservatum, manibus secularium in repentina necessitate vix ereptum, alium, quam fabricam ferrariam, locum illa nocte non habuisse.* Tandem pacata iterum Bavaria, suis redditus ita Cænobium restituit ac instauravit, ut ejus secundus fundator dici meruerit, qui anno cl. DXI. obiit; Sensit magnum benefactorem ALBERTUM Bavarie Ducem, qui pro restauratione Monasterii dedit Teloneum & ungelum, ut vocant, in villa ibi, usque ad ipsius & successorum suorum revocationem, A. C. cl. DVI. Habuit successores ex eodem Cænobio Augustano LEONHARDUM Gregg) JOANNEM Rumpfardum, JOACHIMUM Fendium. Monasterium hoc in bello Schmalcaldico A. C. cl. l. XLVI. bis direptum est, tam ab hostibus Cæsaris, quam ab ipsis Hispanis, extra tamen Clenodia aurea & argentea vasa ac supellectilem meliorem, quæ ingruente bello, mandato Illustrissimi Ducis Bavarie WILHELMI piissimæ memoriæ ad tutiora loca tempestive fuerant translata ac deposita. Sepulti sunt ibi Nobiles Hinterskircher de Schönleuten, ex quorum familia extitit Martinus qui prædia, fundos & silvas donavit, ut testantur littære A. C. cl. CDLIII. datæ. Clemens VIII. P. M. concessit usum mitræ, & Pontificalium A. C. cl. DXCV. R. D. BENEDICTO Gaugenrieder Abbati venerabili & successoribus.



MONASTERIUM

CAMPIDONA DCCLXXIII.

CAMPIDONENSE facile princeps in Germania Cœnobium condidit HILDEGARDIS, CAROLI MAGNI uxor. Hanc ut domi pernobilem, Suevam originem fuisse satis constat, quamvis sint qui Andecii in Boica matre REGARDA Andecensi Comite natam esse contendunt. Fidem adhibere Theganus vetat, à quo IMMA GOTOFRIDI Alemanniæ Ducis proneptis, HILDEGARDIM peperisse, planè traditur. Fuit igitur non Boica, sed Sveva genus, GEROLDI Comititis & Boicæ prætoris foror, qui hanc amplissimam præfecturam affinitatis suffragatione à CAROLO consequutus est, ut ex certis monumentis compertum est. Hunc veteres scriptores comitem & consiliarium, atque signiferum CAROLI promiscue dixerunt, non nemo consanguineum. Valafridus Augiæ in Aconio lacu Abbas, sive æqualis huic ætati, sive suppar, insigne virtutis testimonium, quanquam duris & incultis versibus perhibuit.

*Hic vir in hac patria summa pietate nitebat,
Moribus egregius, verax mansuetus, honestus,
Cui Regina soror, LUDOVICI chara genitrix,
HILDEGARDIS erat, parili bonitate venusta,
Viribus ille potens, sanctoque potentior actu.*

Augienses Annales Pussenium Comitem appellant. *Pussen* in excelsa Sveviæ monte arx sita, nomen retinet. Hanc illi patriam sedem fuisse, sit verisimile ditione longe protensa. Cum liberis careret, amplum patrimonium locis fere sacris, Augiensi imprimis, & Sangallensi Monasterio dilargitus est. Ipse contra Hunnos acie instructa, manus jam conferturus inter ordines obequitans, dum apta oratione militum animos erigit, certam adversus hostem eum victoriam spondens, qui spem adhuc omnem in fuga posuerit, incertum cuius virtute an scelere improvise cecidit, nam equites eum comitati duo, simul interfecti sunt; facti auctor latuit, corpus in Augiæ Monasterio conditum. Cecidit Kal. Sept. A. C. DCCXCIX.

HILDEGARDIS itaque, postquam CAROLUS DESIDERII Longobardorum Regis filiam repudiasset, eidem legitimo matrimonio conjuncta A. C. DCCLXXI. (quamvis non nemo sequentem annum annotet, & C. Baronius ante septuagesimum quartum non esse idem conjugium initum, evincere velit ex Epitaphio, quod est in Cœnobio S. ARNULPHI extra Metensem urbem) Anno vero DCCLXXIII. HILDEGARDIS dotem suam maternam contulit ad fundandum CAMPIDONENSE Cœnobium, cujus primum lapidem eodem anno posuit ROLANDUS CAROLI Magni è sorore BERTHA nepos, *omnium Gallorum*, Sabellico teste, *fortissimus*, præsentibus multis principibus ac nobilibus.

Eodem anno dum DESIDERIUS Pontificem recusantem CAROLOMANNI liberos inungere Franciæ Reges, vexat bello; rogatus à Pontifice CAROLUS, victor ubique arma infert Italiæ: & bis fuso Longobardorum exercitu, Ticinum obsidione cingit, Veronam capit: ubi duos CAROLOMANNI liberos, & matrem recipit. Cum vero Papiam vallasset, *dirigens continuo in Franciam*, inquit Anastasius Bibliothecarius, *ibidem apud Papiam adduci fecit suam conjugem excellentissimam Hildegardam Reginam & nobilissimos filios.*

Anno sequente DCCLXXIV. dum adhuc obsideretur Pavia, CAROLUS appetente Paschali solemnitate Romam venit: ubi apparatus omnem excepit. Post octo dies Papiam reversus, facta deditio urbem recepit. *Gloriosus itaque Dominus Rex Francorum CAROLUS*, inquiunt Annales Francorum, *Italia subjugata, custodia Francorum in Pavia relicta, magno triumpho, Deo adjuvante, cum UXORE sua, & reliquis Francis reversus est in Franciam.*

Eodem

Eodem anno à CAROLO confirmatum, & DCCLXXVII. XI. Maji, quæ CHRISTO cælos ascendenti sacra fuerat, consecratum est CAMPIDONENSE Cœnobium. Sequenti anno HILDEGARDIS gemellos peperit, & altero decedente, superstiti LUDOVICI nomen, sic volente patre, inditum. Anno posthæc DCCLXXX. labente CAROLUS è Saxonia, comitibus duobus filiis, & Regina HILDEGARDE uxore, autumnali tempore in Italiam pervenit. Natalem diem Domini Ticini celebravit; sequenti autem anno sacratissimum diem Paschæ Romæ: ubi uterque filius à Pontifice Rex appellatus coronatur: LUDOVICUS quidem Aquitaniæ, & PIPINUS Italiæ; quibus actis redit in Franciam.

Demum anno DCCLXXXIII. Pridie Kal. Maji moritur HILDEGARDI Regina uxor CAROLI Magni & amplissimi CAMPIDONENSIS Cœnobii Fundatrix, cum eidem vitro suo trigeminos stirpis virilis, & totidem muliebris peperisset, CAROLUM, PIPINUM, LUDOVICUM, qui proximus à CAROLO imperavit; ROTRUDIM, BERTAM & GISLAM. Ibidem in Ecclesia à se fundata sepulta (quamquam, ut supra monuimus, à quibusdam apud Mediomatrices condita prodatur) in cujus tumulo post ducentos circiter annos, cum denuo instauraretur CAMPIDONENSIS Basilica, inventa est plumbea tabula, cum tali, quantumvis rudi & inculta inscriptione:

*Annis decursis septingentis octogintaque tribus
Busto in hoc bustarii felicem bustarunt HILDGARDIN
Quæ variis claruit signis, Dei vigore in multis,
Cujus in pace sancta requiescat anima. Amen.*

Hanc HILDEGARDIS Fundatricis historiam idcirco pluribus prosequuti sumus, ut commentitias & fabulosas quasdam narrationes, quæ à quibusdam proferruntur, & tamquam verisimiles aliquo modo fidem meruerunt, excluderemus; quandoquidem alii auctores, qui de CAROLI Magni rebus gestis, vita & morte scripserunt, nihil de iis rebus memorant. Earum vero loco antiquissimas, fideque dignissimas confirmationis regię literas proferemus, ex quibus illustrissimi hujus Monasterii fundatio, & largissima dotatio luce clarius cunctis patebit; earum tenor sequitur.

In nomine sanctæ & individue Trinitatis, CAROLUS divina favente clementia, Imperator Augustus. Si sanctam Dei ecclesiam digno magnitudinis nostræ munere sublimare, augmentare, atque subvenire, ad æternam nostram remunerationem, & regni nostri stabilitatem prodesse confidimus ideoque noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque presentium scilicet, & futurorum solers industria, qualiter nos ob interventum sanctissim. patris nostri ADRIANI Papæ, ac supplicem rogatum dilectæ conjugis nostræ HILDEGARDIS, nec non propter nobilem ac fidelem famulatum JOANNIS Augiensis, & S. GALLI, reverendi Abbatis, ejusdemque Episcopi Constantiensis preces, ob meritum RUDANGI Metensis Episcopi, & STURMI Wuldensis Abbatis, seu cæterorum principum innumerabilium, nobis assistentium, ANDEGARIUM quendam nobilem, magnæ religionis virum, & primum CAMPIDONENSIS Cœnobii, ad regularem disciplinam instructorem, assumpsissimus, & in eodem loco CAMPIDONENSI, qui ab eodem in honorem sanctæ DEI genitricis MARIE, constitutus est, in pago Tlergew, Abbatem eum confirmavimus, & à Papa ADRIANO in sancto die Paschæ consecratum, pretiosissimum sanctorum martyrum GORDIANI, & EPIMACHII, corporibus donatum in suam Abbatiam honeste transmisimus. Sed quoniam prædicta conjunx nostra, in eodem Cœnobio locum sepulturæ se habituram ordinavit, diversis muneribus ditando, quicquid in pago Tlergawe, & Augusgawe, & Albgawe, materna hæreditate legitime obtinuit, cum nostra potestativa manu, & imperiali largitione illuc tradidit, & in proprium jus ejusdem Monasterii transfudit, & perpetualiter possidendum, sicut in alio brevi continetur donavit. Nos igitur eundem locum, utpote de nostro, & in nostro fundatum, ac in nostro nostrorumque successorum mundiburdo, sive defensione fore constituentes per nostræ autoritatis munitionem confirmamus, & precipimus, ut nullus publicus judex, neque dux, neque comes, aut quibuslibet ex judicaria potestate, villas, curias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, memorato monasterio,

nasterio, presenti tempore subjacentes, &c. & in fine sic concluditur. Quod ut verius credatur, & omni tempore incorruptum habeatur, manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Amplissimo igitur huic Archisterio ANDEGARIUS nonnullis AMELGARIUS dictus primus Abbas praefectus, sacris initiatus est Romae praesente CAROLO MAGNO & HILDEGARDE fundatrice ipso Dominicæ Resurrectionis die, anno Domini (non ut Bruschius inter complures alios lapsus male habet 773.) DCCLXXIV. ante illum annum enim CAROLUS nunquam Romam venerat. Consequutus est idem venerabilis Abbas pro se & successoribus suis omnibus insigne privilegium ab ADRIANO Pontifice, in quo Pontifex CAMPIDONAM alteram vel secundam Romam appellans, ab omni eam Episcopali jugo exemptam, & perpetuo liberam esse statuit. Abbati vero concedit plenam potestatem ante meridiem sacra faciendi, post meridiem vero gladii, ad exercenda jura forensia, ad tuendos bonos, ac è medio tollendos malos, usurpandi. Unde versus natus quem Abbas & Princeps loci hujus cum Herbipolensi Episcopatu communem habet:

CAMPIDONA sola judicat ense, stola.

Est etiam CAMPIDONENSIS Abbas unus è quatuor illis, quibus inter Germaniæ proceres sunt primæ sedes, quique in consessibus publicis ac pompis maxime honorantur; utpote quibus amplissimæ sint jurisdictiones, nomenque & jura Principum Imperii habeant. Hoc vero Advocatos ac tutores habet, Ducem Bavariae, Marfallum: Saxoniae Ducem, Pincernam: Montisfortis Comitem, Dapiferum: ac Comitem de Nellenburg, Camerarium Abbatis.

Circa Annum Christi CMXX. sæva Hungarorum gens finibus suis egressa per omne Noricum, Vindeliciam, & Boicam ferro flammaque grassata, omnia fœdis populationibus & rapinis implevit, sacraque profanis, profana sacris permisit, Cœnobita aedesque sacras minime paucas cum virorum sanctorum, tum sacrarum Virginum alias fœde vastavit, alias funditus evertit. In quam sortem & hoc CAMPIDONENSE aeternum venit, quod etiam his temporibus, tribus distinctis vicibus igne ferroque vastatum est tam misere, ut fratribus hinc inde dispersis, Monasterium non nisi latrocinantium undiquaque Hunnorum latibulum fuerit.

Donec tandem ERNESTUS Sveviæ Dux motus lachrymabili tam illustris loci statu, & præcipue duorum Cœnobarum AMANDI & FELICIS querulosis vocibus commotus, ope præsertim S. UDALRICI, qui tum temporis locum hunc in commendis habuit, cœpit Monasterium quasi de novo instaurare, Cœnobitas recolligere, Abbatem certum his præficere, novamque omnium privilegiorum confirmationem ab Imp. OTHONE I. petere, quam & obtinuit.

Rursum hujus Cœnobii magna pars incendio periit A. C. clō CC. LXI. postri die S. MAGNI, unde hi versus:

*Annis transactis plus uno mille ducentis
Et sexaginta combusta fuit domus ista
Post festum Magni præcelsi nocte sequenti.*

Eodem circiter tempore extractæ turres magnificæ, quarum altera S. HILDEGARDIS, altera S. LUDOVICI dicta.

Habuit illustrissimum hoc Cœnobium ad hæc nostra usque tempora continua serie Abbates S. R. I. Principes tam generis nobilitate, quam animi generositate & religione (utpote qui non semel Capituli Provincialis Præsidentes fuerint) viros præstantissimos, usque ad modernum Reverendissimum ac Illustrissimum Principem ac Dominum D. JOANNEM EUCHARIUM de clarissima Wolffurtorum stirpe natum, cui proinde multos annos & faustissima quæque
apprecamur.

MONASTERIUM

M E T T E N D C C C .

METANIA vel MEDENA hodie METTEN, pervetustum in inferiori Bavaria Monasterium, dimidium miliare supra Deggendorfsensem civitatem, paululum à sinistra descendens Danubii ad lucum seu forestam non inamœno loco situm: constitui cœpit temporibus CAROLI MAGNI Imperatoris omnium Christianissimi ac munificentissimi Ecclesiarum erectoris, annum Christi circiter Octingentesimum; uti notant Andreas Presb. Ratisp. Aventinus, Bruschius, & Hundius. Vera originis historia sic se habet.

Habitabat in hujus loci solitudine, & vasta, adhuc tum temporis Danubiana utriusque ripa, Eremo, ad Michelsbucensis Parochiæ inter Danubium & Iseram sitæ gubernaculum, pius quidam ac venerandus senex, beatus GAMELBERTUS, nobili genere apud Bavaros natus: Is abjecta armorum cura non sine prodigio, aliquando religionis ergo ROMAM ad SS. PETRI & PAULI limina profectus, casu ibi baptizavit infantem quendam, quem UTHONEM nominavit, prævidens vir sapiens in spiritu, sibi aliquando in gubernatione suæ paternæ Ecclesiæ successurum.

UTHO iste cum ad virilem ætatem pervenisset, relicta Italia patria, peregrinatus est & ipse religionis ergo in Germaniæ partem illam ad Danubium sitam: ubi cum ad S. GAMELBERTUM venisset, humaniter ab eo exceptus, ac parochia ea ipsa Michelsbuchensi à viro Dei jam decrepito sene donatus est. Præfuit hujus parochiæ plebeculæ rudi adhuc & parum in Christianismo exercitata post obitum S. GAMELBERTI, itaque etiam UTHO iste: donec aliquando ingruentibus bellicis inter CAROLUM MAGNUM & THASSILONEM Bavariæ Ducem odiis ac tumultibus cogeretur bonus vir parochia deserta, trans præterfluentem Danubium secedere, & in silvis, inter feras quietem & tutum refugium quærere. Ibi cum omnino animum ad eremiticam vitam adjecisset, cœpit sibi ipsi pius pater ad fontem sui nominis construere cellulam perexiguam in honore S. MICHAELIS, quod in his Bavariæ tumultibus bonorum angelorum præsidio servatus, & ex hostium manu liberatus esset. Pacatis rebus iterum in Bavaria, & sub jugum missò jam multoties rebelli THASSILONE, cum daret CAROLUS victor venationi operam: casu, aut potius Deo sic ordinante ad hanc cellam venit, cumque ad conspectum & colloquium suum evocaret senem UTHONEM, barbaturum Eremitam; intelligens ex illius cultu & oratione (quæ plerumque certus minimeque fallax animi character & index est) virum esse integræ, & secundum Deum laudatissimæ conversationis: data ei dextera opem promittit: senemque discipulos colligere, ac plenius Oratorium ibi erigere jubet.

Sic Monasterium hoc sumptibus CAROLI MAGNI inchoatum ac fundatum est, cujus primus Abbas ab ipso Imperatore designatus est UTHO iste. Perierunt hujus loci monumenta pleraque, præcipue vero diplomata Carolina à Magno ipso CAROLO primo fundatore data: Ludovicorum, & aliorum Carolorum ac ARNULPHI Imperatoris ibi privilegia plurima.

Sepeliuntur in hoc Cænobio illustres Barones à Degenberg, nobiles ab Egk, fundatores parochialis templi S. MARTINO dicati, nobiles item Forsteri, Falckemari, ac alii Bavariæ procères plurimi.

Historia B. UTHONIS breviter ita colligitur. S. UTHO patria Romanus, in Germaniam peregrinatus ad S. GAMELBERTUM venit, à quo primum Michelsbachensis parochus designatur. Is paulo post in belli tumultibus fuga elapsus in vicino & transdanubiano nemore Cellam sibi construxit eremiticam ad miraculosum fontem, quem adhuc vulgus hodie S. UTHONIS FONTEM appellat: in quo qui morbo Gallico, seu scabiæ Hispanica polluti sunt, sese lavantes emundantur: certis tamen annis, quos ita salubres annos (ut ab hujus loci Cænobitis & agricolis animad-

animadversum est) Epidemia & grassans pestis plerumque excipit. Quamdiu bonus is pater Abbas praeferit; in fastos à nemine relatum est, aut si relatum est, certe in bellicis tumultibus periit, ac in cineres redactum est.

Sepelitur Abbas iste in Choro templi ante aram maximam sublimi tumulo, cum tali Epigrapha:

*Abbas hic primus UTHO nec laudibus imus
Hic jacet ut limus, caelis requiescat opimus.*

Postea anno DCCCLXXX. WIPPO Abbas hujus loci accepit privilegium à LUDOVICO Imp. in villa regia Forchheim, cujus tenor est talis:

In nomine sanctæ & individuae Trinitatis. HLUDOVICUS divina favente gratia Rex. Si petitiones servorum Dei juste & rationabiliter aurem serenitatis nostræ petentium ad effectum perducimus: hoc nobis procul dubio ad æternæ remunerationis præmia capienda profuturum liquido credimus. Quapropter notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris: qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum, & pro remedio animæ Matris nostræ & antecessorum nostrorum concessimus quasdam res proprietatis nostræ in Comitatum Cunberti, cuidam Monasterio constructo in honore S. MICHAELIS Archangeli, ad petitionem WIPPONIS Abbatis, qui eidem Monasterio præesse dignoscitur: omne scilicet forestum & prædium inter ipsum Monasterium & Danubium, hoc est in pago, de Steine usque in Kbrapfenrayn, inde in Pranne, inde in Zwerchloë usque in Zeidlorn & sic usque in Danubium. Itaque quidquid infra scriptos terminos habere visi fuimus, totum in proprietatem dominationis jam dicto Abbati, & fratribus prædicti loci perpetualiter possidendum condonavimus, ut eos pro nobis, pro conjuge & prole nostra, & totius Regni prosperitate misericordiam omnipotentis Domini melius exorare delectet. Et ut hæc nostra concessionis auctoritas firmiter habeatur, & per futura tempora, à fidelibus nostris melius credatur, manu propria nostra lubter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum HLudovici Serenissimi. Regis.



*Arnulphus Cancellarius ad vicem
Luitberti Archicapellani recog.*

Data quinto Nonas Maji Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXX. Indictione XII. Anno Quarto Regni HLudovici Serenissimi Regis. Datum Forcheym villa regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Post multa annorum curricula Anno Domini clō CXXXIV. periit univèrsum Metaniense Cænobium, præsidente GERBERTO Abbate. Anno enim Domini clō CXXXIII. Henrico IV. Imperante, qui patri in regni folio successerat, diversisque ducibus Baviaræ ducatum tenentibus, uno nimirum ejecto, alio recepto, pax à tempore primi OTHONIS per successionem sex Imperatorum ad hæc usque tempora vigens tepescere cœpit. Diffensionibus ortis in regno Ecclesia perturbata est, Monasteria destructa sunt, Clerus in odio & contemptu erat, Justitia & Religio sub pedibus impiorum jacebant.

In hac ipsa calamitate, Monastica etiam regula & disciplina pristinis annis strenue hic observata, in hoc etiam Metaniensi Cænobio collapsa desit, ita ut locus iste aliquamdiu sub seculari Clero Canonicorum in Pfaffenmünster (quod est Collegium elegans è regione civitatis Straubingensis ad Danubium vel paululum à Danubio versus Bohemiæ montana & nemora situm, à THASSILONE Bojorum Duce olim fundatum & liberaliter donatum) esset, ad annum nimirum clō CLIII. usque.

Tum enim FRIDERICO I. FRIDERICI Svevorum Ducis filio ad Imperii decus & dignitatem evecto, pax diu desiderata univèrsæ Germaniæ feliciter est restituta. Hic ipse FRIDERICUS cognomento BARBAROSSA, HENRICO Saxonum

xonum

xonum Duci, HENRICI alterius, ejus nimirum qui à CONRADO Rege proscriptus, & ex universa Bavaria ejectus erat, filio, Bavariæ ac Norici Ducatum restituit: & HENRICUM patrum suum Marchionem Austriæ, tunc Ducum Bavariæ ab eodem Ducatu transfudit ac amovit. Quia vero ejusdem HENRICI Marchionis præcipua nobilitas ac summa honestas exigebat, ut nomen Ducis nequaquam amitteret: & ut Duces Bavariæ minus deinceps contra Imperium tumultuari, rebellare, & superbire possent, Imperator de voluntate & consensu Principum in Comitibus anno Domini clō CLVI. Ratisponæ habitis, Marchionatum Austriæ à Jurisdictione Ducum Bavariæ eximendo, & quosdam ei Comitatus de Bavaria adjungendo convertit in Ducatum. Sic iste HENRICUS factus & designatus legitur primus Dux Austriæ.

Is anno Domini MCLVII. Monachos in Metaniense hoc Cœnobium reduxit, sacerdotibus secularibus ad Pfaffenmünster, unde antea adducti fuerant, redire jussis. Sic Austriæ iste nobilissimus Dux, secundus hujus loci fundator est, & dici meretur. Quis vero hujus secundariæ foundationis tempore ad clavum hujus loci fuderit, nusquam reperio in literas aut monumenta relatum.

BERNOLDI Abbatis tempore, incendio periit universum Metaniense Cœnobium Anno gratiæ clō CCXXXVI. & mœnia totaliter destructa, & vastata sunt. jacuitque locus penè desolatus ad annum usque clō LXIV. quo renovari denuo cœpit, IV. Id. Julii, promovente negotium OTHONE Bayarorum Duce.

Ejusdem opè & præfidiis CONRADUS de Auwerbach Abbas hujus Cœnobii præclare restauravit illud. Præfuit anno clō CCLXXXVII. & anno clō CCXCIII. quo OTHO Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ *resarcire intendens* (hæc diplomatis verba sunt) *graves defectus, quos Metaniensis Ecclesia in suis hominibus & bonis, ex diversis rapinis & incendiis perpeffa erat, cum beneplacito fratrum suorum LUDOVICI & STEPHANI fecit Abbati & Conventui hujus loci triennem remissionem omnis præstationis Steurarum, berbergarum, & omnis Juris Advocatitii, faciens eis hanc de suæ liberalitatis munificentia specialem gratiam.*

Tempore ULRICI hujus nominis I. Abbatis, cœpit concursus hominum ad miraculosum fontem S. UTHONIS, anno clō CCCVI. Sub ejusdem regimine venit Cœnobium anno clō CCCX. in tuitionem D. JUTHÆ Bavariæ Ducissæ, quæ fuit soror OTHONIS Regis Hungariæ, & uxor STEPHANI Bavariæ Ducis.

Postea anno Christi clō CDXXXIX. ANDREAS Abbas hujus loci, insulam & cætera pontificalia ornamenta per ALBERTUM illustrissimum Bavariæ Ducem à Concilio Basiliænsi impetravit pro se & successoribus suis usurpanda.

Sub regimine Abbatis OSWALDI, (qui iniiit anno clō CDXCV. & obiit clō DXV.) vixit peregrinatio ad miraculosum fontem S. UTHONIS, & liberati sunt ejus beneficio à morbo Gallico multi advenæ. Hanc peregrinationem mox pestis secuta est. Construxit idem Abbas tabernam, excoluit vineam Cœnobio proximam, renovavit aras omnes, fecit fieri pretiosam Insulam.

Habuit idem Cœnobium alios plures præclaros & laude dignos Abbates, qui sua cura & diligentia rem domesticam mire auxerunt, & interim spiritualia etiam non neglexerunt.

MONASTERIUM

E I N S I D L E N C M V I.

MONASTERIUM HEREMI DEIPARÆ MATRIS in Nigra Helvetiæ fylva, ut vocant, situm; locus, quo vix ullus usquam Christiano in orbe alius neque Reginæ Cœlorum præsentia religiosior, neque Antistitum nobilitate, & successione illustrior, neque Pontificum, Imperatorum, & Regum, Principumque privilegiis, & beneficiis honoratior, aut postremo omnium prope nationum peregrinatio-

nationibus frequentior, atque miraculis est insignior. Adeo alias aliis in locis sacras ædes videtur summus ille Architectus rerum omnium ab reliquis constitutas accepisse, & probasse; hanc, tamquam perpetuum sui amoris, & honoris erga matrem monumentum, & simul in genus humanum refugium, solatiumque sua veluti manu posuisse, stupendis signis, & incrementis insolitis fovisse, & ditavisse, omniumque pene provinciarum, & gentium cultu, & religione, & concursu celebrari voluisse.

Porro hanc HEREMUM, five solitudinem, MEGINRADUS, Sulgoviæ Comitum filius & Augiæ Insulæ Monachus primo sanctitate, mox sanguine suo illustravit, & consecravit; de quo ita scribit Hermannus Contractus; *MEGINRADUS Augiæ monachus, & primus incola Heremi quæ Thuricino adjacet lacui à quibusdam latronibus inibi XII. Kal. Februarii peremptus post mortem virtutibus claruit, Augiæque sepultus est. A quo usque hodie Heremus ipsa à sanctis, & religiosis viris in nobile, & famosum jam dudum excrevit Cœnobium.*

Et Martinus pœnitentiarius. *S. MEGINRADUS primus incola Heremi quæ Thuricino adjacet lacui à duobus latronibus inibi occiditur. XII. Kal. Februarii, & ab angelis lucis suscipitur: & in caelesti fulget vita Martyr, Presbyter, Monachus, & Heremita.*

HEREMUS ab MEGINRADI obitu absque assiduo colono, & cultu annos quatuor & quadraginta fuit, nisi quia apud vicinos sacri incolæ celebris memoria vigeat, multique qui opem ab eo suis in necessitatibus perferant, voti condemnati martyris locum, & ob rara inde, & supra naturam sublevamenta, & auxilia, quod constituerat ibidem DEIPARÆ VIRGINI Sacellum frequentare solitabant. Sed ex his ad longinquos quoque fama pervadebat. Motus inde BENNO ex regia Burgundiæ regum stirpe Canonicus Argentiniensis (illum Benedictum ex vitæ sanctitudine postea dixerunt) rerum humanarum despectu, simul vitæ solitariæ cupidine in eam cum paucis sociis recipere se constituit, fecitque anno CMVI.

Sub cujus adventum Cella S. MEGINRADI ætate, & incultu, temporumque injuria, & solitudine loci ferme dilabebatur, Sacellumque religio magis, quam tecta tuebatur, cetera circum sentibus, & arbutis aspera, & densa, prorsus ad pristinam vastitatem pene cuncta redierant. Igitur ubi BENNO loci ingenium satis perspexit, situsque ex opportunitate Cœnobio idoneum maxime judicavit, ad Comites Raperfuillanos, in quorum Dominatu tota solitudo erat, tetendit, utque eorum beneficio, & consensu eam colere, & mansuefacere liceret obtinuit. Ita Sacellum primo instauravit, mox S. MEGINRADI cellam habitamentis adauxit, pluresque eo amicos, & familiares incolendæ, & frequentandæ Heremi invitavit, & perduxit. Vicina hinc perpurgare orsus, erutis, & exustis arborum, & truncorum radicibus, campum satis amplum, vulgo Bruel nunc vocant, patefecit. Objectum pariter montem, quem ex ejus vocabulo Bennau posteri nuncuparunt, cultus patientem reddidit. Nihil denique intermisit, unde solitudinis asperitas mitesceret, & incolendi desiderium cresceret. Sed quia situs admodum asper, & horridus, omnique melioris arboris infœcundus erat, antistitam Sanctionensem accessit, & ab ea Ufnoviam lacus Tigurini insulam vicinam, & amœnam beneficio perpetuo impetravit. Eam mox omni felici arbore, & elegantiori cultu expolivit: fructus, & cetera inde emolumenta Cellæ S. MEGINRADI, servato nihilominus Sanctionensis Ecclesiæ jure omni beneficiario, dedit, & consignavit. Id postea jus beneficium OTHO I. Imp. redemit, & HEREMITIS concessit, ejus loco alias possessiones Sanctionensibus attribuit, beneficium, & usum, in dominium vertit, ut postea videbimus. Loci religione, & BENNONIS propinqui amore, eodem tempore, excitatus ADELBERO Basiliensis Episcopus ad MEGINRADI cellam & ipse invisit, probatoque ejus maximo opere pietatis studio, & cura illustrandæ solitudinis, quo magis impensæ suppeterent, & in propinquum, Cellamque venerationem suam testaretur, Sierns Elfatæ Superioris nobilem vicum hæreditarium BENNONI, & ejus loci successoribus proprium fecit, quidquid in eo juris ab majoribus habebat libere, & munifice resignavit, Cellæ S. MEGINRADI perpetuum esse jussit.

Huc

Huc etiam BENNO quæcumque à parentibus acceperat contulit, & postquam XIX. annos Heremum incoluisset, in Mediomatricum Episcopum electus est A.C. ccixxxv. sed post biennium insidiis appetitus, & luminibus privatus, rursus, in Heremum quam ægre deseruerat perducere se curavit, in eaque insigni innocentia, patientiaque quidquid vitæ reliquum peregit, obiitque Anno CMXL. III. Nonas Augusti.

Et si vero, primus apud Heremum socios BENNO habuit, longe tamen EBERHARDUS illustrator, & conditor Princeps habitus. Is ex Comitibus Franconia, Hestia, & Veterovia Provincialibus Præpositus Argentinenfis, divino admonitu, Angeloque ductore, & inductore, ad Heremum advectus, Anno ccixxxiv. amplis facultatibus, & hæreditate opulenta, statim ad novi, & amplissimi monasterii, Basilicæque in honorem, & nomen DEIPARÆ MATRIS, divique MAURITII Legionis Thebaicæ principis, & sociorum structuram, & conditionem animum applicavit. Inde Anno CMXLV. multis per ædificiorum, & totius conventus necessitudines impedimentis, cum minus, quam ab initio quæsierat, optaratque sibi, & vitæ solitariae, ab turbis remotæ, ac dissitæ vacare liberum foret, consortem, & adiutorem sibi EBERHARDUS THIETLANDUM sumisit, magna integritate; & prudentia virum, illique fabricæ, & ceterorum curam commendavit; Ipse se à negotiis ad rerum divinarum contemplationem penitus insinuavit. Anno sequente OTHO Imp. dato diplomate Monasterium in suam protectionem suscepit.

Ab solverat jam templum EBERHARDUS, quare ad consecrationem ejusdem CONRADUM Constantiensem, in cujus diœcesi consisteret, & UDALRICUM Augustanum Episcopos invitavit. Illuc cum venisset CONRADUS, nocte, solito more, circa ejus medium orationis causa surgens, melodiam longe suavissimam auribus excepit, cumque magis, magisque animum, mentemque intenderet, certissimo animadvertit, angelos cantum eundem, & ordinem, ceremoniasque in Sacelli DEIPARÆ consecratione habere, quæ, dedicationibus Ecclesiarum, Episcopis usurpentur. Audire eadem haud pauci monachi, aliique nonnulli, quos precum, & meditationum studium idem tempus intentos & vigiles attinuerat.

Cæpta luce, paratis ad manum necessariis, magna attentione, omnibus CONRADUM præstolantibus, ipse solus cunctari, moræque causas obtendere, denique quid audisset, paucis pandere. Illi vero veluti vana, & tamquam cælestium ex meditatione nata somnia memorantem, illis posthabitis, ad consecrationis opus impellere, donec cælestem delapsam vocem CESSA, CESSA, FRATER, DIVINITUS CAPELLA CONSECRATA EST, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & CONRADUM vera cognovisse, & Sacellum DEIPARÆ cœlitus dictum, & consecratum esse, nemo postea dubitavit.

Basilicam vero Sacello circumjectam, solitis ceremoniis, in honorem S. MAURITII, & sociorum consecravit. XVIII. Kalend. Octobris, Anno DCCCC XLVIII. EBERHARDUS adhuc decennio fere supervixit, & obiit XI. vel ut alii XIX. Kal. Septembris. A. C. CMLVIII. Ei successit THIETLANDUS, & huic GREGORIUS; qui cum esset Eduardi Angliæ Regis filius, & voti causa Romam profectus, in Cælio monte agitare, solitudinem meditando, & captans locum, ubi curis mundanarum rerum liberatus DEO, cui se totum voverat, regie splendore stirpis, & dignitatis abjecto, & præ cælestium amoribus contempto, soli, unique tradere se, & toti adhærere posset, tertio totidem noctibus cœlitus admonitus, ut inde Heremum Nigræ silvæ concederet, paruit, & supremam inibi potestatem obtinuit; obiit VI. Idus Novembris A. C. DCCCC. XCVI. regiminis XXXIII. sepultus pene D. MAURITII altare, ubi multis inclaruisse traditur miraculis. VIRANDUS successor ejus memoriæ hoc Epitaphium posuit:

Abbas GREGORIUS laudum splendore coruscus,

Flos Angliæ stirpis: præcipuus meritis.

Idibus in senis animam reddendo Novembris

Spiritui cælum, ossibus hunc tumulum

*Promeruit, digna factis mercede repensa.
Nunc fruitur summo lætus, ovansque bono.
Creditur angelicis psyche subvecta ministris
GREGORII patris sedibus æthereis.*

Porro hujus Abbatis tempore, clarus eruditionis, & sanctitatis gloria in Heremo WOLFGANGUS erat Comes Veringensis, aut, ut alii volunt, Pfullingensis, vel Reidenfeldensis, monasterii Decanus. Is sacris ab UDALRICO Augustensi Episcopo, qui sæpius religionis causa ad Heremum ventitabat, ibidem initiatus, GREGORII abbatis licentia, & auctoritate, quia *videbatur sibi cum simplo, & abscondito talento, quasi vacuus apparere in conspectu domini, nisi, eo exposito, & duplicato, aliorum quoque consuleret saluti*: cum aliquot ex Heremo sociis divini cultus apud remotiores gentes propagandi desiderio, in Austriam, Hungariam, Bohemiam, & loca vicina, circiter annum cco LXX. profectus, multos ab improbis, & impiis ritibus & erroribus alios scelerum è vinculis liberavit. Rever. sus hinc Bataviam, apud PEREGRINUM Episcopum divertit, qui, ejus perspecta sinceritate, eum ad Ratisponensis Ecclesiæ gubernacula promovit. Ubi ita se gessit, ut ejus meruerit esse, colique patronus, & tutelaris Divus.

Porro præfatum S. UDALRICUM memorant antiqua Heremi scripta, Virgineum Sacellum quotannis ferme adiisse, magnam primo cum EBERHARDO, quem etiam sanguine attingebat, necessitudinem exercitasse, eadem lege amicitiae mox THIETLANDUM, & GREGORIUM coluisse. Ejus adhuc in Heremo monumentum, & munus brachium, S. MAURITII loci patroni; & aliæ Thebaicæ legionis reliquiæ, brachium S. DIGNÆ ex comitatu S. AFRÆ Augustanorum patronæ, & aliis martyribus. Vestes præterea sericæ, quibus sacerdotes & levitæ operantur sacris, coloris lutei, quarum etiam contractus pollebat virtute miraculorum.

Hujus amplissimi Cœnobii liberalissima faulrix & patrona fuit ADELHEIDIS Augusta, adeo, ut merito cum OTHONEM marito fundatix præcipua habeatur, memoriaque sempiterna, & anniversaria apud Heremitas excolatur.

Tanta porro erat Heremitarum per ea tempora fama, & disciplina, ut non solum inde ad Episcopatus idonei præfides peterentur, sed si quod novum construendum monasterium erat, conditores ab eis & magistros, monasticæque vitæ institutores plerumque exposcerent. Hinc PETRI DOMUM tres abbates acciti: Hinc ad Murense novum Monasterium REGINBOLDUS egregiæ vir sanctitatis cum aliis monachis missus, eidemque præfectus. Ad Hirsaugiense vero recens reparatum FRIDERICUS non minoris sanctitatis, cum duodecim fratribus missus, anno cto. LXV. Pari ratione B. ADELHELMUS primus Abbas designatus est Montis Angelorum A. C. cto. XIX. & ejusdem Monasterii Abbas secundus dictus est Frowinus & Heremo, qui non sine sanctitatis opinione decessit A. C. cto. CLXXVIII. XXVII. Martii.

Rursum circiter A. D. cto. XXIV. ex eadem Heremo missi monachi ad recens conditum S. VINCENTII in monte Jurasso monasterium, vulgo Beinvilier nuncupatum: & alii post alio. Infulam vero & cætera pontificalia ornamenta à LEONE IX. P. M. impetravit HERMANNUS ex Comitibus Vitoduranis Heremi Abbas sextus.

Tandem RUDOLPHUS I. Imp. consideratis quanto honore, amore, veneratione, liberalitate, munificentia, antecedentes Imperatores & Cæsares, Heremitarum monasterium complexi essent, quanta religione, & frequentia ob manifestam per tot miracula, & vota DEIPARÆ Matris præsentiam, toto Imperio locus coleretur: quanta postremo monachorum inibi agentium nobilitas, & ortus claritudo, præsidumque sanctitudo, & totius Collegii integritas, & auctoritas esset, UDALRICUM II. Abbatem XVIII. in Principum Imperii numerum VII. Kal. Februarii A. C. MCCLXXIV. primum adlegit, utque tamquam Principem, subditi, & monasterio annexi colerent, & obedientia agnoscerent, eximio Diplomate sanxit, & impetravit. Retinuit Heremus amplissimam hanc dignitatem; usque ad Reverendissimum

diffimum & Illustrissimum D. AUGUSTINUM, Abbatem XXXIX. & Principem Imperii XXII. qui adhuc ibidem Principatum summa cum laude gerit, utque adhuc pluribus annis maximo ejusdem Monasterii ornamento & emolumento gerat, summis votis exoptamus.

Ceterum, qui rerum ibi gestarum seriem amplio rem desiderat, R. P. F. Christophori Hartmanni Annales locupletissimos evolvat, è cujus uberrimis fontibus, parvulum hunc rivulum deduximus.

MONASTERIUM PETERSHAUSEN CMLXXX.

PETRI DOMUS five PETERSHAUSE, Monasterium, è regione Constantiensis urbis in Svevia cis Rhenanum pontem, in dextra videlicet Rheni è Lacu Acronio prodeuntis situm: fundatum & dotatum est magnificentissimè Anno CHRISTI CMLXXX. à S. GEBHARDO Episcopo Constantiensi, virtute & pietate insigni, unde & in divorum numerum referri meruit, nobilitaque præstanti, cujus vita è manu scriptis in compendium redacta tali fere stylo describitur.

GEBHARDUS secundus hujus nominis Constantiensis Episcopus, natus est patre UTHONE nonnullis HUGONE, Comite Brigantino, vel, ut alii, Rhætianorum, matre DIETBURGA, post mortem matris ex utero cæsus; vir doctus, pius, ac facundus, S. CONRADO perquam familiaris, in cujus etiam ministerio extitit, ejusque successori GAMENULPHO substitui meruit anno CMLXXX. Cujus electionem DEO gratam fuisse, visio subsequens demonstravit.

Erat namque in eadem Ecclesia imago S. DEI Genitricis MARIÆ lignæ insculpta tabulæ, quæ B. viro in somnis visa est virgam præbuisse pastorem, eique præcepisse, ut Dominicum gregem pasceret, eique pascua vitæ monstraret æternæ.

Ex iis vero, quæ sibi hæreditario jure obvenerant, Monasterium S. GREGORII Papæ in ripa Rheni fluminis juxta Constantiam civitatem construxit; deputatis illic duodenis Fratribus, qui die noctuque divinis insisterent officiis, quibus sufficienter victum vicitumque suis ex facultatibus ministrari constituit.

Anno autem Dominicæ incarnationis CMLXXXIII. Templum hujus Cœnobii cœpit construere, positus ad quatuor templi angulos in fundamenta quatuor aureis Rhenensibus. Cumque omnes operi certatim insisterent, quadam die contigit, ut fractis sustentaculis, in quibus stabant operarii, caderent in terram, ita ut opifex, qui præerat operi, toto conquassato corpore quasi exanimis inveniretur. Vir autem Domini GEBHARDUS in Domino confidens, jussit eum levare, & in oratorium S. MICHAELIS deportare: Et ejectis omnibus ipse clausit ostium, seseque in orationem dedit. Quo orante elusus sanus surrexit, eumque ad opus redire jussit, atque ait: Vere, nullus deinceps ex hoc cadendo suæ periculum patietur animæ; jussitque omnes parietes recto tramite sursum sine vestibulis construi, ita ut laquearia ejusdem Templi in modum crucis suspensa esse videantur. Quæ laquearia deauratis baculis in modo stellati cœli undique decoravit, muros vero per circuitum varia pictura perornavit.

Situs autem ejusdem templi ad occidentalem plagam versus est; ipsumque Templum secundum formam Basilicæ Principis Apostolorum Romæ constructam formatum est, propter quod & eundem locum PETRI DOMUM appellavit, per circuitum vero congrua monachis construxit habitacula, perfectisque omnibus decimo anno Ecclesiam in honore S. GREGORII Papæ dedicavit, eamque multiplicibus & magnificis sanctorum Reliquiis cumulavit, inter quas etiam brachium S. PHILIPPI Apostoli ab OTHONE III. Imp. sibi cum aliis plurimis condonatum summo studio ibidem collocavit. Ejusdem rei gratia etiam ROMAM properavit, ut

de Apostolorum liminibus Sanctorum exuvias, Privilegiumque libertatis perciperet, quod etiam magnifice impetravit.

Inter ceteras vero quas JOANNES Pontifex beato viro sanctorum dederat Reliquias, Caput quoque Sanctissimi Papæ sibi condonatum GREGORII; sed hoc paucis, & sibi familiarissimis cognoscentibus. Vir autem Dei tanto pignore accepto, maximo delibutus gaudio, festinus urbem egreditur, verens hoc, quod etiam contigisset, nisi divina miseratione protectus fuisset. Romani enim cognoscentes se tanto pignore privatos, se quasi orbatos gementes, civitatem egressi, virum DEI unanimiter persequuntur. Quod ille sentiens, fugam iniit, fugiendoque Placentiæ ad Padum fluvium usque pervenit. Quem in immensum excrevisse invenit, navemque altera parte consistere doluit. Cumque nullum adesse conspiceret, qui navem adducere potuisset, jam jamque insequentes se advenire formidaret, quod tunc solum subsidii noverat, ad arma orationum confugit, seseque in ipsa fluminis ripa DEO supplicem dedit. Quem mox se invocantem CHRISTUS in tribulatione dilatavit, *quia oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*, & adhuc eo clamantem dixit; *ecce adsum*. Illo namque orante; & omnipotentis DEI misericordiam implorante, ut si voluntatis ipsius esset, quatenus hæ exuviæ ad locum destinatum pervenirent, sibi in hoc necessitatis articulo subveniret. Mirum dictu; Padus se submisit, & per medium suimet sanctissimo viro vadum optimum patefecit. Ipse autem vir DEI statim ut sibi viam à Domino prospexit patefactam, cum suis omnibus ingressus, omni cum alacritate pertransivit. Unus autem nequam ex obsequio ipsius sancti postremus pertransuentium factus, cunctis aliis egressis, in alveo fluminis solus inventus, concurrentibusque aquis præventus atque suffocatus est. Quod cum viro DEI nunciatum fuisset, ait: Ex hoc nolite contristari Charissimi, nulum enim hoc in loco dare debueramus, pro quo istum à Domino ablatum credamus, & cum lætitia CHRISTO gratas agentes, iter nostrum peragamus. Illi vero qui virum DEI illo persequuti fuerant, videntes quæ facta sunt, ad propria revertuntur.

B. GEBHARDUS autem domum cum venisset, collocatis cum omni diligentia Reliquiis, ordinatisque duodenis, ut supra dictum est, ad locum Fratibus, PERINGERUM tertium decimum, vicem CHRISTI inter eos agere constituit. Videntur autem dicti Fratres ex Eremitarum loco adsciti, ita enim scriptus manu liber de rebus gestis ejusdem S. GEBHARDI. *De Cella quoque S. MEGINRADI, quæ dicitur ad Solitarios suos monachos S. GEBHARDUS nervam vivendi, & regimen habere decrevit, quoniam monachi illius Cœnobii tunc temporis fuerunt religiosissimi*. Inter hæc & similia pietatis opera, divina etiam non defuerunt miracula, nam inter cætera claudum manibus pedibusque instar quadrupedis reptantem, prorecto baculo quem gestabat, erexit, & recte ambulare fecit.

Cum vero languore corporali correptus, se de hoc sæculo citius migraturum præsensisset, rogavit se in Templo, quod ipse fabricarat, sepeliri. Nam tunc temporis in CONSTANTIA morabatur civitate, cum eum hæc infirmitas occupasset, qua etiam mortuus est VI. Kal. Sept. A. C. CMXCVI. Episcopatus sui XVI. & in gaudium Domini sui introivit.

Cum ergo lotus, ac sacerdotalibus, ut moris est, vestibus indutus, & feretro impositus, ad Ecclesiam fuisset deportatus, dissensio exorta est, utrum in ipsa Ecclesia Sponsa videlicet sua, an uti ipse rogaverat, in ea, quæ ab ipso constructa fuerat, debuisset tumulari. Sed major pars vicit minorem, & decretum est, eum in eodem loco sepeliendum.

Accedentes autem hi, qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum levare, atque ad præparatum sepulchrum deferre conabantur. Cumque brachia extenderent ad feretrum, cœperunt toto corpore tremere, ac immenso pavore concuti, ita ut etiam pene humano amisso sensu amentes efficerentur: tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, ut humanis viribus moveri nequiverit.

Tunc omnes qui aderant, hoc miraculo cœperunt dicere illum sepulchri locum à DEO sibi prædestinatum non fuisse, tandemque divino correcti judicio, decreverunt

verunt eum ubi ipse rogaverat, sepeliendum fore. Portitores autem iterum accedentes, cum omni velocitate loculum levaverunt, atque omnis illa pristina gravido ita immutata est, ut pene nil ponderis se portare pensentiscent.

Aliud tum prodigium sequutum est. Nam illis Ecclesiæ limen egredientibus, columba cunctis cernentibus advolavit, & supra jam sæpe dictum, beati viri, nullo abigente consedit feretrum, indeque non recessit, donec trajecto flumine Ecclesiam S. GREGORII ingressi fuissent. Quam mox ut intraverunt, columba quæ videbatur, disparuit, eamque nullus deinceps videre prævaluit: tantique odoris fragrantia eos illic excepit, ut omnes se quasi renovatos crederent, nullusque se unquam aliquid, quod tanti esset odoris, pensentiscent memoraret. Quæ etiam fragrantia tandiu super sanctum corpus permansit, quousque maximo cum honore in Meridiana parte ejusdem Templi sepulturæ tradidissent. Ejus Epitaphium est istud.

Debita pars terræ fallentia tempora sperne.

Et memorare viæ, quam testatur cinis iste:

Gentis honos nostræ jacet, gentis dolor atque

Præfuit huic urbi, cuncto sed præfuit orbi.

Hancque Deo sedem templi fundavit & ædem.

Parti terrenæ Deus ignoscens miserere,

Redde vicem juste, quia te dilexerat iste.

Memorable est, quod Abbati hujus loci primo BERINGERO post hæc contigit. Is enim oratorium ingressus cum in ipso noctis silentio orationi attentius incumberet, ei B. GEBHARDUS apparuit, & hilari vultu ad eum loquutus est: *Scias pro certo me apud omnipotentem impetrasse Deum, ut nullus Fratrum modo in hoc Monasterio CHRISTO deservientium, à morte lædatur secunda. Sed omnes mortem subeuntes temporalem vitam cum CHRISTO possidebunt sempiternam.* Hoc dicto ab oculis ejus evanuit, nec eum ulterius cernere quivit.

Consimilis pene visio alteri cuidam Monacho qui Psalmodiæ nimium deditus erat, apparuit. Ei namque per somnium visum est, quasi coram tumba sanctissimi Confessoris CHRISTI GEBHARDI orans constitisset. Cui sic stanti sanctus Pontifex quasi de tumulo progrediens apparuit, & salutationis verba ad eum protulit, eique pavitanti sic ait: *Noli timere frater, ego enim sum GEBHARDUS ille, qui hanc ædem CHRISTO, ejusque Confessori GREGORIO fabricavi, Vade ergo & dic fratribus meis, ut bono animo sint, & voluntarie CHRISTO, sanctoque Papæ GREGORIO in hoc meo Monasterio deserviant; atque his addidit: Sciatis pro certo, quod omnis quicumque in hoc meo Monasterio voluntarie cum bono proposito deserviens inventus fuerit, in omni tentatione atque tribulatione, me, sanctumque GREGORIUM fortes auxiliares apud DEUM habebit, & in extremo judicii examine ante thronum justi judicis æterna vita coronandum ipsum perducturi sumus.* His dictis ab oculis cernentis elapsus est.

Aliis alia beneficia ab eodem præstita, lux cæcis refulsit, immedicabiles morbi curati, vitia corporum correctæ, claudis nervi compositi, complures vero ab inferno hoste arrepti, immaniterque excruciat, ab ingrato hospite liberati sunt, qui passim omnes salutem GEBHARDO in acceptis retulere.

B. GEBHARDO in Episcopatu successit LAMBERTUS Monachus ejusdem hujus PETERSHUSANI Monasterii. Aluit hoc idem, ut Bruschius memoriæ prodidit, olim octoginta Monachos cum Abbate, & primo vastatum ac spoliatum est. A. C. cl. LXXXVII. ab HENRICO Comite sacri Montis. Incendio vero periit, cl. CLIX. Anno demum cl. CDXV. tempore Concilii Constantiensis JOANNES FREY Abbas hujus Monasterii, Pontificalibus ornamentis donatus est à MARTINO V. P. M.

Anno Domini tandem cl. DXLVIII. ab Hispanis CONSTANTIAM oppugnantibus, concrematum est. Rursus tamen diligenti œconomia religiosorum præclare instauratum, & pristinae dignitati restitutum, in hodiernum diem viget & floret.

MONASTERIUM

SEON five SEUN DMXCIV.

SEON five Sevum vel Sevuen celeberrimum Bavaricæ ditionis Monasterium, fundatum est ab ARBONE Comite Dieffense ac Andecense, A. C. DCCCCXCIV. qui in Bavarica Norica, non procul à Chiemensî lacu, Burgillum Castellum suum in templum vertit, D. LAMBERTO dedicat, traditque Benedictinis Monachis, incolæ à lacubus, qui ibi sunt frequentes, vocant SOEUM: HENRICUS sanctus, hoc & alia Monasteria largiter locupletat; extant diplomata, teste Aventino.

Non solum autem hoc in loco, sed etiam alibi celeberrima est S. LAMBERTI Martyris memoria, utpote apud Friburgenses in Brisgoja, qui se sancti martyris caput habere gloriantur ex donatione Rudolphi Episcopi, qui frater erat Bertholdi quarti Zeringiæ Ducis.

Duces quoque Carinthiæ in finibus Carnorum ac Styriorum opulentissimum divi LAMBERTI Monasterium fundarunt.

Is autem dum regiam domum zelo religionis increpasset, cum rediens orationi incumberet, ab iniquissimis viris de palatio regis missis ex improvîso conclusus, intra domum ecclesiæ occiditur. Cujus sepulchrum creberrimis illustratur miraculis. Usus est præceptore *Wintershoven* sancto archipresbytero LANDOALDO: magistroque suo sancto martyri THEODARDO, in episcopatum successit. CLODOVEUS rex ejus prudentia & auctoritate familiariter utebatur patrem eum appellans & Apostolicum virum, in eo privilegio, quod promulgavit pro immunitate Ecclesiæ beatæ MARIE Trajecti. Debuitque sanctus in patria urbe, post martyrium beati THEODARDI pontificium suscipere. Urgebant enim eum CLODOVEUS rex cum suis proceribus, electio omnis cleri, & acclamatio utriusque sexus. Nec minus ob sanctitatem & prudens consilium placuit CHILDERICO regi, qui non dubitavit pectus ejus domicilium esse Spiritus sancti, & linguam veritatis organum. Sed hoc rege occiso, turbata est ecclesiæ pax. Siquidem Ebroinus tyrannus, qui Major domus sub THEODORICO rege sapius Franciam turbaverat, sanctum LAMBERTUM justitiæ & publicæ libertatis defensorum, episcopatu expulit, & Faramundum quendam intrusit: per quem Tungrensis ecclesia experiendo didicit, *furum non venire nisi ut furetur, mactet & perdat*. Sanctus LAMBERTUS autem videns se obstinatæ tyrannidi & oppressioni ecclesiæ non posse resistere, infructuosum laborem prudenter declinavit, & per septem annos Angelicam vitam duxit in Stabuleto monasterio, usque ad miseram Ebroini interfectionem.

Numeratur Apostolus Taxandriæ, eo quod multa prædicatione & patientia ad fidem converterit ejus regionis populum idololatriæ cultu tordescens, qui nullis civitatibus, sed pluribus & sparsis vicis continebatur, usque ad Tungros. Et propter hanc conversionem Taxandri Leodiensi ecclesiæ subditi fuerunt PIPINUM principem, primi PIPINI nepotem, de publico cum Alpaide adulterio, quibus potuit modis revocare laboravit. Qui visus est quidem rejecta pellice, velle redintegrato conjugio obtinere remedium pœnitentiæ, sed per eandem penitus subversus est. Cui etiam postulanti, ea de causâ adstitit frater ejus, impius Dodo, qui in villa Legia orantem LAMBERTUM, & per modum crucis expansum, ante altare SS. Martyrum COSMÆ & DAMIANI, per satellites suos lancea perforavit, & cum eo simul interemit Petrum & Andoletium, sancti martyris confanguineos. Sic beatissimus martyr omni virtutum gratia adornatus, cum B. JOANNE Baptista, ob impugnatum adulterium, meruit palmam martyrii, A. C. DC. XCVIII. episcopatus XL. Sacrilegus vero Dodo æternæ damnationis incurrit interitum,

ritum, tum etiam posteritati suæ tanti facinoris jugem pœnam, & indeficiens opprobrium usque hodie reliquit. Unde Wandelbertus scribit:

Factio quem casum semper tremebunda pavescit.

Sepultus est beatissimus martyr apud Trajectenses in Ecclesia S. PETRI unde post duodecim annos translatus est cum sede cathedrali à B. HUBERTO ad villam Legiam, tunc quidem ignobilem Lotharingæ vicum, sed martyrio & miraculis S. LAMBERTI nobilitatum. Ejus etenim patrocinantibus meritis, postmodum commutatur in celeberrimam urbem, quæ modo LEODIUM dicitur. Sed de Seonenfis Monasterii Patrono fati: nunc ad ejusdem historiam revertamur. Abbas itaque UDALRICUS & Conventus ibidem elegerunt LUDOVICUM Palatinum Rheni Ducem Baviaræ in Advocatum & protectorem suum, vigore privilegiorum suorum, tam Pontificiorum quam Imperialium, ita ut post illius obitum sive pater, sive alii ipsius proximi agnati eandem Advocatiam irrevocabiliter tenerent, alii vero nemini eandem concederent, Monasterium, ejus privilegia & jura defenderent. Extat latinum diploma, cujus datum in obsidione castri Hadamarsperg, Anno cl. CCXLVII. Testes, Luizmannus, Wernherus de Laber, Hademarus de Laber, Siuridus de Frowenberch, Siuridus de Frowedhoven, Siuridus probus Asinus, germanice frumb Esel, Ulricus de Mosen, Henricus de Ysolzried, Diethericus Pincerna de Ode, Ortholphus de Laimingen, Arnoldus de Prisingen, Ulricus de Wildenwart, & alii complures.

Idem LUDOVICUS Dux dedit Monasterio privilegium exemptionis à teloneo in Ratenberch, ratione vini, olei, casei, & reliquorum victualium, dans illi curiam suam in Ahrain, è contra Abbas dedit duci aliqua sua jura cæterorum fundorum in vico Kufftain, & intra fossatum Ratinberch. Acta sunt hæc apud Chuffstein: Testes Albero nobilis de Pruckberg, Magister D. Præpositus in Illmünster, H. de Isolzried, Ulricus de Mosen, Conradus Püchlar, Ulricus de Fruinsperch, & C. filius ipsius B. Prandelinus, & alii Anno cl. CCLVII.

Huic amplissimo Cænobio nunc præsidet A. R. & Doctissimus Abbas SIGISMUNDUS, qui præter cætera scripta, quibus nomen suum posteritati commendavit, clarissimum Ordinis nostri decus, JOANNEM TRITHEMIUM Abbatem Spanheimensem vindicavit ab infami Magiæ nota, qua apud nonnullos laborabat ob libros Steganographiæ, quos illi contra rationes physicas scriptos, superstitionis plenissimos, Magia vetita refertos, atque hoc ipso inter libros ab Ecclesia prohibitos censendos putabant. Ipse contra TRITHEMIUM non Magum, sed Ecclesiæ filium obedientissimum, subjectissimum & humillimum; eaque omnia, quæ in STEGANOGRAPHIA scripsit, physicis ac naturalibus esse subnixa principiis, ac proinde vetitæ magiæ nomine minime esse damnanda, plerisque ex ipsomet TRITHEMIO desumptis argumentis evidentissime probat, & à tanta labe & ignominia virum, de Catholica Ecclesia tam bene meritum defendit. DEUS Opt. Max. eum totius Ecclesiæ bono longum fervet.

MONASTERIUM

S. CRUCIS WERDÆÆ MXXX.

S. CRUCIS Monasterium, quod est intra muros Imperialis oppidi Donawerdæ, id est, Danubianæ peninsulæ (peninsulam enim Germani Werd vocant) præclarum sanè: fundatum legitur initio pro Deo dicatis Virginibus, à MANEGOLDO sive MANGOLDO Comite Kyburgensi, Dilingensi, Werdensi, Witteslingensi & Domina TUTTA ejus Conjuge, circa annum Domini MXXX. in monte juxta arcem Mangolstein. Templum vero ejusdem merito honore dedicatum est à S. LEONE IX. P. M. III. Nonas Decemb. A. C. M. L. cum is à Moguntina Synodo Romam versus rediret, iterque per Augustam Bavariamque haberet. Tum

M

etiam

etiam GUNDERADA dicti MANEGOLDI Fundatoris filia, prima erecti Cœnobii Abbatissa, ab ipso LEONE IX. instituta & consecrata est. Mandavit insuper LEO, ut sacrosanctæ Crucis portio, quam præfatus fundator, dum nomine Imp. Conradi Salici legatione Constantinopoli fungeretur, ex Græcia secum attulerat, & tamquam pretiosissimum thesaurum dicto Cœnobio contulerat, perpetim in Monasterio Werdenfi maneat; dicto & lato in illos, qui quid contra tentaverint, anathemate. Nec defunt divinæ severitatis & vindictæ exempla in eos: qui Crucem hanc furtivis manibus harpagare conati sunt; ut Annales Werdenses memorant. Obiit præfatus Fundator anno M. LIII.

Auctum est idem Cœnobium ab aliis duobus MANGOLDIS ejusdem stemmatis Comitibus, qui etiam Advocati extiterunt, & in Capitulari ejusdem Cœnobii domo honorifice sub insigni Mausolæo sepulti sunt, cum tali Epigraphe.

Tres fundatores MANGOLDI, TUTAque: flores

Cœlestis prati, pausant simul hic tumulati.

BULLA LEONIS IX. P. M. DE ADVOCATIA MONASTERII S. CRUCIS IN WERDEA.

† LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, GUNDERADÆ DILECTÆ IN CHRISTO FILIÆ A NOBIS Ordinatæ & consecratæ noviter, facta à Patre tuo Manegoldo S. Crucis Monasterio, tibi que successuris perenniter Abbatissis perpetuam in Domino salutem.

Sacræ devotionis labor, quia semper divino favore juvatur, semper optato fine terminatur. Ideo, Filia, tui Patris ampla in Deum devotio laudabilem fructum produxit: cum pro portione sanctæ, & vivificæ Crucis, in qua Dominus noster JESUS Christus salus nostra, pependit, decenter auro, & gemmis ornata, tunc ab Autocratore Constantinopoleos nomine Romano dona data, cum ad eum missum esset ab Imperatore Chuonrado, ut filiam suam nuptum traderet ejus filio; fundavit Ecclesiam in petra: quia non ædificavit super arenam; ut incumbentibus ventis, venientibus fluviiis, descendantibus pluviis, quod ædificasset, rueret; sed firmiter fundatum, perenniter permaneret.

Ut vero votum suæ constructionis Deo solueret, secundum illum, qui dixit; Vovete & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera; nos à Moguntina Synodo Romam versus redeuntes, ad ipsum Dei templum venire invitavit, quod à nobis III. Non. Decemb. merito honore dedicatum, sic tandem juri S. R. E. & beatissimo Petro Apostolo prompto donavit, & obtulit animo, teque filiam suam, quam jam Deo in monastica conversatione, & habitu sacraverat; ejusdem, rogavit a nobis fieri Abbatissam, loci. Id auspice Deo, fecimus, attendentes, in te, quantum homini est possibile, timorem Dei, cordis compunctionem, mentis humilitatem, morum gravitatem, in adolescentibus membris prætendentem jam senectutem: & constituentes eundem locum esse in perpetuum Ancillarum Dei Monasterium; ubi tu de te, & sororibus tuis primas Deo primitias offeras Religionis, merita castitatis, omnisque bonitatis.

Hoc tamen nomine nostræ Apostolicæ sedi, parens tuus, eandem fecit oblationem, ut, dum ipse vivit, ipsius loci Advocatiam habeat; similiter & post mortem ipsius, quem nunc habet, filius. Qui filius, si hæredem habuerit, ipse quoque Advocatus sit. Si vero vel ipsi Manegoldo, vel ejus filiolo, nemo filius superstes extiterit, tunc liceat Abbatissæ, ipsique Congregationi, Advocatum sibi, secundum Deum, eligere, petendum tamen ab Apostolica sede.

Lex vero omnium Advocatorum post Manegoldum talis erit: ut, quisquis eorum digne non administraverit, Advocationis officium, liceat Abbatissæ, ipsique Congregationi de eo apud Papam conqueri. Qui, si vocatus ab eo fuerit, & Monasterio satisfecerit, Advocationem suam retineat. Quod si venire distulerit, aut, si venerit, & non satisfecerit, tunc liceat Abbatissæ, ipsique Congregationi ex consensu Papæ talem sibi Advocatum eligere, qui secundum Deum sit. Post obitum vero tuum, de ipsa congregatione, quæ melior sit, eligatur, si idonea inventa fuerit, eaque donum & consecrationem Abbatissæ à Papa recipiat: alioqui de alia Congregatione idonea eligatur, à Papa similiter donanda, & consecranda.

Decernimus præterea, ut in altari majori, quod nos ipsi consecravimus, nullus audeat Missam celebrare, nisi sit Episcopus, vel Abbas, tresque sacerdotes hebdomadarii ad hoc officium deputati, eorumque successores. Episcopus quoque in cujus parochia locus est, nihil sibi in eo vendicare audeat, præter ordinationem facere Clericorum & Monialium, si tamen gratis fecerit. Sin autem; ordinationes expetent ab alio, quocunque velint, Episcopo.

Ut vero locus ipse in Quadragesimali tempore solvat Papæ annuam pensionem, statuit idem Manegoldus, pensionem ipsam esse anabologiun, id est, Fanonem, stolam cum auro, manipulum, & cingulum. Nos vero quia locus ipse conditus est propter eam, quæ supra dicta est, sanctæ, & vivificæ Crucis portionem; eandem inibi semper manere volumus, cupimus, & optamus, & à nemine auferri, statuentes Apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut nullus Imperator, nullus Rex, nullus Episcopus, nulla præterea magna parvaque persona, eandem vivifici ligni portionem ab ipso Monasterio audeat auferre quolibet modo, vel aliquid facere contra omnia, quæ superius scripta sunt; sed nec etiam aliquid diminuere, de bonis ejusdem monasterii, quæ modo habet, & usque in æternum habebit, quolibet furto, quolibet raptu, quolibet alienationis modo. Id, qui præsumperit, donec digne satisfecerit, anathema sit. Qui vero pio intuitu custos, & observator hujus nostri privilegii extiterit, à Domino Deo benedictionem consequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. †

Data III. Non. Decemb. per manus Petri Diaconi Bibliothecarii, & Cancellarii sanctæ Apostolicæ sedis. Anno Domini Leonis IX. Papæ I. Indictione III.

Hoc Cœnobium postea in planitiem translatum est ad SS. NICOLAUM & VITUM Anno MLXVIII. consensu ALEXANDRI II. & tandem tertio eum in locum, in quo hodie visitur: quando nimirum in Monialium locum collapsa disciplina, & Monastica professionis rigore laxato, substituti sunt Monachi ex sancto BLASIO in sylva Hercinia exciti, & quidem, ut Annales notant, Anno M. CI. consensu PASCHALIS II, quæ omnia clarius patebunt ex sequenti Diplomate.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI DILECTO IN CHRISTO FILIO DIETRICO ABBATI MONASTERII S. CRUCIS DE WERD, ejusque successoribus regulariter substituendis.

Quemadmodum ex gestis prædecessoris nostri S. memoriæ Leonis IX. Papa didicimus, nobilis quondam vir Mangoldus de Werde, devotionis intuitu, Monasterium in castro suo construxit, quod B. PETRO Apostolorum Principi offerens, fecit in honore sanctæ & vivificæ Crucis, per manus ejusdem Romani Pontificis consecrari, sanctimoniales fœminas ibidem DEO servituras instituit.

Factum est autem, ut eodem cœnobio per operam pravorum hominum diruto, atque devastato alter Mangoldus, jam dicti nobilis viri filius ab Apostolica sede obtinuit, ut sibi licentia præberetur, idem Monasterium ad alia loca transferre, ac per hoc, juxta ipsum Castrum, in planitie terræ fundavit Ecclesiam, & sanctimoniales ibi ad DEL servitium deputavit. Quibus utique tam religione, quam numero decreverunt, tertius Mangoldus prædecessorum nostrum egregiæ recordationis Paschalem Papam humiliter adiit, & ut amotis sanctimonialibus, in eodem loco monachi ponerentur, expetiit. Cujus petitioni Romanus Pontifex benigne consensit, & Gebhardo, quondam Constantiensi Episcopo tunc Apostolicæ sedis legato per sua scripta mandavit, ut videlicet de Cella sancti Blasii monachi assumerentur, & in eodem Monasterio ponerentur. Quod, cum præfatus Episcopus implexisset, idem locus tam in temporalibus, quam in spiritualibus, DEO gratiæ sint, plurimum augmentatus est.

Quod igitur, dilecte fili Dietrice Abbas, à nobis humiliter postulasti, ut idem Cœnobium, cui, DEO auctore, præsides, Apostolicæ sedis privilegio muniremus, nos, quorum præcipue interest, loca, quæ ad jus S. Rom. Ecclesiæ pertinent, diligere, ac fovere, interventu dilecti filii nostri quarti Mangoldi illustris viri, tuis desideriis benignitate debita duximus annuendum.

Per præsentis itaque privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut idem Cœnobium ab ipsis fundatoribus B. PETRO oblatum perpetuis temporibus sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ tutela consistat; & ordo monasticus, qui secundum B. BENEDICTI re-

gulam, per jam dilectum prædecessorem nostrum ibidem noscitur institutus, absque sexus varietate, seu mutatione in eodem loco irrefragabiliter observetur. Prohibemus etiam ut diæcesanus Episcopus in eodem loco nihil audeat sibi vendicare exceptis consecrationibus Altarium, vel Ecclesiarum, Ordinationibus Monachorum seu etiam Clericorum, si tamen hæc ipsa vobis gratis & sine exactione, vel pravitate exhibere voluerit. Alioquin, quemcunque malueritis, Catholicum adeatis Antistitem, ab eodem, quæ ad spiritualia pertinent, suscepturi. Sepulturam quoque ipsius loci liberam fore decernimus, ut videlicet eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni, ac supremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva nimirum justitia matris Ecclesiæ.

Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat portionem ligni vivificæ Crucis, quæ in eodem loco recondita esse creditur, pro cuius honore vestrum cænobium factum est, exinde amovere, vel quidquam ex his, quæ jam dictus prædecessor noster Leo Nonus eidem firmavit Ecclesiæ, quæve in præsentiarum canonice possidetis, aut in futurum concessione, largitione Imperatorum, vel Principum oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poteritis adipisci firma vobis in perpetuum & illibata serventur. Ad indicium autem, quod Monasterium vestrum juris sit B. Petri, unum aureum singulis annis nobis, nostrisque successoribus persolvatis.

Si qua igitur in posterum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere, de perpetua iniquitate, cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei & Domini nostri JESU Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultiori subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU Christi, quatenus & hic fructum actionis percipiant, & apud districtum iudicium præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego WILHELMUS Prænestinus Episcopus.

† Ego GERHARDUS Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem.

Data Pisis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii XIII. Kal. Julii, Indictione XIII. Incarnationis Dominicæ, Anno M. C. XXXVI. Pontificatus Domini Innocentii Papæ II. Anno VI.

Multa alia privilegia tam per Bullas Pontificum; quam per constitutiones Imperatorum Werdenfi Monasterio concessa sunt, quas hic per censere, nil attinet.

Istud non est omittendum, in hoc celebri Monasterio asservari ac religiose coli portionem ligni S. Crucis, quam MANGOLDUS fundator ex Græcia secum tulerat, ut supra etiam tetigimus, ejus descriptionem hic accipe.

Tabella ipsa lamina constat aurea, lichadis unius longitudine; latitudine minor, uncia. In hujus medio, Crux est, ut vulgo vocant, Hierosolymitana; longitudine digitali; capitello constans & basi ex eadem ligni materia. Duo alia transversa ligna, quæ partim è medio, partim nonnihil post fastigium promicant; non pari omnino constant magnitudine. Quod enim medium occupat, duorum prope pollicum est: Alterum, nonnihil est brevius. Basis & fastigium, æquabili proportione brevitate præstant. Latitudo omnium ferè par est: nisi quod partes illæ quæ fastigio propiores sunt, minores, tenuioresque appareant. Trium autem est granorum. Porro ne crux ipsi tabulæ insita insertaque labet; argenteis uncinis supra, infraque geminis innectitur. In quatuor angulis quaterna sunt ostiola, quæ reliquiaria totidem ocludunt, celantque. Reliqua in hoc tabellæ aureæ spatio, parerga, ut stellæ, rosæ, scutaque bina obtinent.

Quæ quidem tabella S. CRUCIS aurea, margine itidem aureo cingitur, insigniturque cum unionibus prægrandibus sexdecim: quibus scutulis suis vel orbiculis intermicant gemmæ undeviginti magnitudine, ac precio variæ atque dispares: ut sunt adamantes, pyropi, smaragdi, ametysti, sapphiri. Quod quidem emblema fertumque gemmeum, quod S. Crucis hujus iconismum ambit, munificentia donatum, & oblatum est MAXIMILIANI I. Imperatoris religiosissimi, & liberalissimi; Pars enim

enim postica tabulæ hujus, quæ grandiusculis literis epigraphen præfert, eam Imperatoris hujus pietatem & beneficentiam diserte prædicat: sic autem habet.

MAXIMILIANUS. RO. AC. UNGARIÆ. REX. ARCHIDUX. AUSTRIÆ. DUX. BURGUNDIÆ. &c. ME. 12. KLAS. MÄY. VISITAVIT, ANNI. DNI. 146. QUI. HUIC. ECCLESIE. SCE. CRUCIS. WERDEE. PER. MANGOLDUM. EX. NOBILIORI. GENERE. ELPHECIORUM. DE. SANGUINE. DUCUM. SVEVIÆ. TUNC. ECIA. COMITEM. IN. DILINGEN. CUM. FUNDATIONE. ME. DONATA. AMPLIUS. DECORAVIT. NAM. ET. IPSO. NULLUS. VIVENCIUM. LONGE. AUT. PROPE. PLUS. TRAXIT. ORIGINEM. DE. HABSPURGENSIBUS. VEL. KIBURGENSIBUS. PARTICEPS. ET. IPSE. SIT. DEVOTIONIS. IN. ÆVUM. AMEN. CONSUMMATUM. EST. HOC. OPUS. ANNO. DOMINI. MILLESIMO. QUINGENTESIMO. TERTIO. DECIMO.

Epithema vero seu operculum quo S. CRUX tegi solet, est hujusmodi. Septenas continet imagines, ex opere tessellato, Mosaico seu Musivo, quo imaginum genere olim Græci valde delectabantur; & hoc etiam ævo delectantur. Superne ad dexteram, visitur icon *Joannis Baptistæ*, orbi inclusa; additis his characteribus Græcanicis; ὁ ἅγιος πρὸδρομος, *sanctus Præcursor*. Ad lævam conspicitur effigies S. *Joannis Evangelistæ*, cum hac designatione ὁ ἅγιος ἰωάννης θεολόγος, S. *Joannes Theologus*. Inferne ad dexteram, apparet ὁ ἅγιος πέτρος, S. *Petrus*. Ad sinistram, ὁ ἅγιος παῦλος, S. *Paulus*. In medio cernitur imago Deiparæ solio insidentis, & in gremio puerulum JESUM gestantis, addita hac inscriptione; μήτηρ θεῶν, *Mater Dei*. Ad dextram virginis, intra eundem ambitum, est imago *Michaelis Archangeli*, ad sinistram, *Gabrielis*. Illi adscriptum est *μιχαηλ*; huic *γαβριηλ*. Sub Angelicis icunculis apparent characteres nonnulli, quorum expositionem sagacioribus relinquo; nam mihi quidem hic sunt densæ tenebræ. Non ambigo tamen referendos ad Deiparam Virginem, & puellum Christum, quem in sinu gestat. Opus & forma seu schemate & imaginibus plane est Græcanicum, ut agnoscent, quibus vel modica Græcarum rerum notitia suppetit. Ingens olim cum prisca pietas in Germania adhuc floreret, ad hanc Crucem factus est omnium hominum concursus. Præsertim festis *Inventæ & Exaltatæ Crucis*, & die, quo Templi S. Crucis dedicatio peragebatur. Multis miraculis claruit. Commemorabile est illud, quod contigit anno Redemptoris M. CCC. XVII. IV. Kal. Febr. cum oppositu S. Crucis sævissimum incendium restinctum est, ad eum ferme modum, quo S. PAULINUS olim similis portionis de S. Cruce objectu, populabundis flammis terminum fixit, ne ultra progredierentur: de quo lege P. Gretf. tom. 1. lib. 1. c. 85. de S. Cruce: certe ob crebritatem miraculorum, quæ virtute hujus Crucis edebantur, fecit quidam patrum memoria hos versiculos leoninos:

*Crux pia Werdensis, non præterit horula mensis,
Quin radiet dignis per sex nunc secula signis.*

Sepulta est in eodem templo MARIA Brabantina, uxor LUDOVICI Bavaricæ Ducis, ab eodem ob suspicionem adulterii decollari jussâ, cum tali inscriptione: *Anno Domini cło CC. LVI. XV. Kal. Februarii in castro Werd obiit Domina MARIA Ducissâ Bavariæ, filia Ducis de Brabant.*

MONASTERIUM

LAMBACH MLVI.

LAMBACENSE antiquum & perquam celebre Monasterium, in LAMBACHHIO Austriæ supra Anafum sitæ oppidulo, ad sinistram TRUNÆ fluminis, inter Schwaigii & Agrii fluviolorum congressus loco amœnissimo duobus lapidibus à Wel-

N

sio op-

sio oppido, & totidem à Cremiphano perillustri Cœnobio, in Pataviensi Diœcesi situm, hac ratione fundatum legitur.

ARNOLDUS præpotens ac illustris Comes Lambacensis, cum charissimam uxorem REGINAM de Wensperg Comitissam ex Ostrofrancis genitam, morte abreptam amisisset, filiis quoque ARNOLDO & GODEFRIDO sine hæredibus vita functis orbatus fuisset, suadente residuo unico filio, qui Herbipolensem Ecclesiam Pontifex regebat, DEUM Opt. Max. possessionum & fortunarum suarum hæredem scribere decrevit, & Lambacense conspicuum ac elegans castrum, in Monasterium convertit, addito sub invocatione & honore B. MARLÆ Virginis non exiguo templo. Aggregavit præterea duodecim Clericos, non ut communem vitam sub regulari instituto sequerentur, sed ut certis & statutis temporibus vel horis, ad Ecclesiam divinas laudes cantaturi convenirent; inde ad suam quisque domunculam (nam in vicinia circumquaque singuli singulas ædes habebant) redirent.

Accidit postea, ut post mortem patris quoque ADALBERO Episcopus, unus filius & hæres paternorum bonorum solum vertere iussus (causam statim explicabimus) in Noricum ad Lambacense Cœnobium diverteret. Ingravescente enim HENRICI IV. Cæsaris malitia, multi ab eo defecerunt SIGFRIDUS Maguntiacensis, ALBERTUS WORMATIÆ, ADALBERO hic noster WIRTZBURGI, alii Episcopi, & pene tota Saxonia. Contigit hoc A. C. cl. LXXII. Anno sequenti, ALEXANDRI successor pontificatus creatus GREGORIUS VII. nostri ordinis, ex Comitibus Bitilianis Hildebrandus prius nominatus, & Cluniaci monachus. Dignitatem is cœpit X. Kal. Mai, magno omnium bonorum consensu, qualem ea tempora optabant, inter omnes pontifices præcipui zeli, & auctoritatis, vere apostolicus. Is ubi primum pontificatum ingressus est restituendæ Ecclesiæ dignitati animum, curamque mature advertit. Et quia sacri ordinis excellentia ante omnia indignum arbitrabatur, si muneris executionem ab laicis acciperet, eorumque beneficiarius, & subditus esset, Synodum apud Lateranum anno sequenti cl. LXXIV. fecit, in qua ita de sacerdotiis decrevit, *ut qui à laico Ecclesiæ investituram acceperit, quique dat, quique accipit anathemate obligetur.* De clericis vero, *uxores ne ducant, quique habent eas, aut sacerdotium amittant, neque quisquam ad id vocetur, qui non perpetuum cœlibatum professus sit.* Scripsit & ad Cæsarem Ecclesiasticis collationibus abstineat, ni faciat, sacrorum interdictionem minatus. Graves inde in Ecclesia, sed præcipue in Germania turbæ, instigante etiam ipsos Episcopos, & antistites, ob cœlibatus indictionem, contra pontificem Cæsare. Pontifex vero videns monita sua à Cæsare ludibrio haberi, minas contemni, eum tandem anno cl. LXXVI. sacro anathemate percussit, & omnes ejus sectatores, subditos, & in primis Italiam ejusdem sacramento, & obsequio liberavit. Secuta hinc omnium pene Principum ab Cæsare defectio, quorum facile principes SIGFRIDUS Maguntiacensis, BERCHTOLDUS Zeringiu, OTHO Saxonix, RUDOLPHUS Allemanniæ duces, noster ADALBERO Herbipolensis, & Mediomaticum Episcopi, qui comitiis Forchtheimi factis; RUDOLPHUM Allemanniæ ducum contra HENRICUM Romanorum regem renunciarunt, & Maguntiaci XII. Kal. Aprilis per SIGFRIDUM coronandum curarunt, adprobante, & ad obediendum ei, tamquam legitimo regi, omnes proceres adhortante pontifice. Atque hæc probabilior causa ADALBERONI Episcopatum deferendi fuit, quam dissidium HENRICI Patris, & Filii, quod tamen literis consignare quidam non sunt veriti, nulla temporis habita ratione, quod cum veritate constare non posse, nemo est, qui non videat, cum id XV. demum annis post ADALBERONIS mortem eveniret.

Cum itaque ADALBERO Pontificis partes tueretur, ab HENRICO Episcopatu dejectus secessit in Noricum, ad terram patrum suorum: inveniensque hæreditatem paternam fere exhæredatam, (verba Scriptoris vitæ refero) & spiritu consilii repente informatus, seipsum cum omni patrimonio ad Cœnobium B. MARLÆ transtulit, & locum sibi dilectissimum, qui charos parentum suorum cineres, avi
vide

videlicet, patris & matris, fratrum, aliorumque consanguineorum felici gremio foret, & ubi, ut hodie cernitur, requiem sibi in seculum seculi elegit.

Videns autem antiquam patris institutionem in Lambacensi loco constare non posse, officia tam nocturna, quam diurna negligenter, nec suo tempore celebrari, clericos ibi dispositos non tute à casulis suis posse egredi propter timores nocturnos; quia sæpe numero arcerent eos, & includerent tempestates, imbrium, coruscationes fulgurum; brumali vero tempore densitates nivium, sævitia nefandarum bestiarum, pericula latronum, & alia, quæ longum est enarrare, genera dispendiorum. Asserebat insuper, magis congruum fore, Cænobitam à secretis Cænobii, non rure, ad divina peragenda, absque periculis corporis, & timoribus humanis prodire. Super hac re consuluit Episcopum Pataviensem ALTMANNUM, in cujus diœcesi locus ille situs est, summique Pontificis GREGORII VII. consensum expetiit: quo habito, Clericos semovit, Monasticamque vitam in Labacensi Cænobio instituit: & quicumque ex clericorum ordine ad hoc propositum transire voluissent, non prohibebantur; nolentes non cogebantur: necessaria tamen iis quoad viverent, providebantur.

Præfecit autem Fratribus inibi degentibus Abbatem EGKEBERTUM, virum venerabilem, morum honestate DEO complacentem: qui postea occasione accepta humillimis obtinuit precibus, ut ipse abrogaretur, & unus è Fratribus suis, BECEMANNIS subrogaretur. Qui adeptus Abbatia dignitatem sobrie, iuste, & pie vivens, curam ejus quamdiu Domino placuit administravit, beatoque sine ex hujus incolatu sæculi ad autorem vitæ transivit. Sed hæc omnia plenius in literis foundationis continentur, quas hic inserere non inopportunum est visum.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego ADALBERO DEI gratia Wirtzburgensis Episcopus, notum esse volo omnibus Christi fidelibus, qualiter parentes mei ob salutem animarum suarum, in loco Lambach dicto, Congregationem instituerunt Clericorum, & qualiter ego hæres eorum factus, Licentia Domini Apostolici, Papæ GREGORII (qui & Hildebrandus) pro hac, in eodem loco, Congregationem substitui Monachorum, consensu & consilio Parochiani Episcopi Pataviensis, scilicet ALTMANNI.

Et quoniam communis vita Monachorum, plus indiget, quam secularium conventus Clericorum, ad supplementum eorum ex nostro adauxi fisco, quatuor videlicet silvas: quarum duæ juxta Trunam in parte Aquilonari sunt sitæ; una mercato Wels inferior; alia superior: inferioris vero Hardis nemorarius erat Enzo; superioris autem Hardis nemorarius erat Engizo,

Ex altera autem parte ejusdem fluminis Trunæ contra Meridiem, duæ silvæ; una ad Buchenloch, cujus memorarius Bero erat; altera ad Eiterwald, cujus memorarius Ello erat. In his ergo silvis solus Abbas, absque nulla contradictione, pro suo libitu habet potestatem evellendi, domos ædificandi, plantandi, molendinas faciendi, venandi, insuper quicquid ad utilitatem Fratrum inde poterit excogitari.

Addidi insuper quantum mihi prædii de patruo meo Arbone ad Zwisil contigit, & vicinum mercatum ad Wels; duo præterea mercata in Francia; unum ad Onoldesbach, ad Geroldeshoven alterum, cum omni utilitate ad ipsa pertinente; & Parochiam, quæ dicitur Tutensteten. Hæc omnia ECKEBERTO venerabili Abbati commisi, eo quo ego hæc jure habui, Monasteriique curam, potestative habere feci.

Hujus rei testes sunt, Eberhardus Comes, Marquardus, Gerungus, Ebo, Henricus, Zeizolf, Arbo, itemque Porn, Nendingus, Arbo, Herrandus, Penno, Wermut, Arbo, Erckenbertus, Adalramus, Altmannus, Adelbertus. Actum est Ratisbonæ, Anno 1056. Indictione 9. Episcopatus autem Domini Adalberonis duodecimo.

Deinde post aliquantum temporis, Abbatis Ekeberti coactus piis petitionibus ab hoc onere sibi imposto eum absolvi: sed ex suis ille unum Fratrem, nomine Becemannum, in hoc Abbatia onus elegit. Hunc quoque pergens mecum illuc adduxi, eandemque rem, qualiter antecessori suo commissa erat, commisi.

Cum autem hoc ipsum Monasterium instauratum à supradicto Episcopo Altmanno, & à me pariter dedicaretur, Anno Dominicæ Incarnationis 1088. Indictione 12. Epacta 6. Concurr. 6. 18. Kalendas Octobris. Anno ordinationis Domini Altmanni 25. mei-

que 45. iterum, & tertio hæc quæ prius feci renovavi, tradens tunc ad altare sanctæ Mariæ & sancti Kyliani unam stabulariam curtem ad dotem, simul cum bis omnibus, quæ à me, vel à parentibus meis ante ad illud tradita fuerant. Hæc Episcopali banno, atque hujusmodi anathemate ambo Episcopi confirmavimus: ut si quis hanc traditionem destruere præsumperit, ligatis manibus & pedibus mittatur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Dedicatio ejusdem templi solenniter peracta est Anno Domini clō. LXXXVIII. XVII. Kal. Octobr. quando nimirum Episcopus ALTMANNUS principale altare in honorem B. DEI Genitricis, & SS. Kyliani & sociorum martyrum, Altare vero quod secundum à principali locum obtinet, B. ADALBERO in honorem S. JOANNIS Evangelistæ, & SS. quorum reliquiæ ibi sunt reconditæ, consecrarunt.

Obiit B. ADALBERO A. C. clō XC. Prid. Non. Octobr. in eodem Monasterio sepultus, ubi etiam plurimis claruit miraculis.

Anno post hæc MCLXIII. BERNARDUS hujus loci Abbas privilegia consequutus est ab ALEXANDRO III. qui Monasterium Lambacense sub B. PETRI tuitionem suscepit.

Rursum anno clō. CC. XXXIII. Austriæ & Baviaræ Ducibus hostili animo bella inter se gerentibus Cœnobium hoc exustum ac pene totum eversum est, quod circa annum clō CCLVII. denuò instauratum templumque hoc ab OTHONE Pataviensi Episcopo consecratum est A. C. clō. CCLXI. Altare vero ad tumulum B. ADALBERONIS in honorem S. SPIRITUS, & B. MARIE Virginis consecratum est à BERNARDO Pataviensi itidem Episcopo Anno D. clō CCIC. Anno vero MCCCLXXVIII. à BLASIO Milensi Episcopo consecrata est ara S. TRINITATI dicata in parochiali templo, quod non procul à Monasterio in amœnissimo colle situm SS. JOANNI BAPTISTÆ, & JOANNI Apostolo & Evangelistæ dicatum est.

Principale vero corpus Ecclesiæ ampliavit JOANNES à Dagsperg nobilis Baro, hujus Monasterii Abbas, secundarius quasi fundator & reparator, qui idem reformavit, & ad regularem observantiam reduxit Anno salutis MCDXXIX. Hujus successor THOMAS veteri ac ruinoso choro diruto novum chorum condidit, quem absolvit & à SIGISMUNDO Salanensi Episcopo consecrari fecit A. C. MCDL. XIV. Consequutus est insignia privilegia Mantuæ à PIO II. P. M. & inter cætera plenariam etiam absolvendi potestatem.

Huic Monasterio summa cum laude jam XX. anno præest A. R. D. Joannes, qui nullis sumptibus parcens, (quod alias in tanta dignitate hoc seculo rarum esse solet) insignia quædam vetustatis monumenta, aliaque multis adhuc profutura, typis evulgare, publicique juris facere studet, inter cetera etiam fundatoris ipsius vitam: cui proinde multos adhuc annos & cuncta prospera à Domino Deo exoptamus.

MONASTERIUM

SCHEUREN MLXXVII.

SCHIRA nobile & antiquum Baviaræ Monasterium in colle amœnio situm, non procul ab Oppido, quod *Wassenhoffen* indigitatur. Multa sane sunt, & magnifica, quæ illud nobilitent. Nam si originem spectemus, conditores habuit celeberrimos Principes ac Comites SCHIRENSES, præsertim OTHONEM & HAZIGAM Regis Aragoniæ filiam, si incunabula; ex Arce & avita Schirenium Procerum sede fortunatis auspiciis exstitit: si posituram, & situm; loco amœnissimo exstructum est, in colle herbido & viridante, quem undique horti & agri fructiferi ac frumentiferi cingunt. Si antiquitatem; jam sexcentimum annum agere cœpit. Si Prætales & religiosos incolas; multos pietate & eruditione præstantes viros aluit.

Et

Et quidem, si primas tribuam ERCHENWOLDO Abbati primo; nemo, opinor, jure me reprehenderit; quippe qui ex disciplina & institutione eximii illius, & omnium Annalium voce decantatissimi WILHELMI Abbatis Hirsaugiensis profectus, tanti magistri haud degener discipulus, posteris omnibus, ad BENEDICTI-
NI instituti acuratam observationem, exemplo prævit; adductis secum ex eadem WILHELMIANA schola duodecim fodalibus; qui veluti duodecim fundamenta, ad imitationem cœlestis illius civitatis, de qua in Apocalypsi D. Joannis, Schirense Cœnobium, religione, omnique virtutum genere fundarent ac solidarent. E-
jus primam originem ita describunt ex Aventino Bruschius, Hundius, & Autbertus Myræus.

SCHIRUM, Comitum Schirensium initio magnificum castrum fuisse legitur, quod construxit *Arnolphus* Comes Schirensis, filius *Arnoldi* mali. In Monasterium vero conversum est hoc modo: Inchoata erat ab *Othone* & *Alberto*, nobilibus viris, solitudinemque amantibus hominibus, in horum ipsorum Comitum ac Principum Schirensium ditio, montanis videlicet Bavariæ, juxta altissimum ejus Provinciæ jugum, quod acola *den Wendelstein* vocani, Eremitica quædam cella & Ecclesiola, Annum Christi circiter MLXXVII. consentientibus, OTHONE Schirensi Comite, ejusque uxore, Domina HAZIGA, Aragonum Regis filia, & utriusque filiis, *Ecchardo*, *Bernardo*, & *Othone*, Principibus Schirensibus. Hæc cella jussu *Ellenbardi*, Frisingensis Episcopi, ea tempestate ægrotantis ac graviter decumbentis, à Pontifice quodam Polensi consecrata est. Decedente vero paulo post ex hac vita Principe OTHONE, Anno nimirum, Christi MLXXIX. Domina HAZIGA, relicta OTHONIS conjunx, iterum jam vidua facta (habuit enim prius maritum *Hermannum*, Comitem de Castl & Sulzbach) cum filiorum suorum consensu, ex humili ac Eremitarum domo ac Ecclesiola, celebre Monasterium construere, & in memoriam mariti sui liberaliter dotare decrevit.

TRANSTULIT vero Monasticam sedem in paulo amœniorem locum, qui hodie adhuc à præfluente pisculentissimo fluviolo *Vischbachaw* dici solet, & quatuordecim miliaribus à SCHIRA, septem à Monaco, duobus à S. QUIRINI Tigurino Monasterio abest, ad pedem montis *Khuezagel* cognominati in Aiblingensi districtu situm, ubi adhuc hac tempestate duo sunt templa, quorum aliud S. MARTINO, alterum B. VIRGINI dicatum est, & Præpositura Monasterio Schirensi incorporata. Hunc locum Domina HAZIGA fundatrix & pagis & vineis plurimis ditavit, in hoc loco cœpit Monastica D. BENEDICTI congregatio; in hoc Domina fundatrix mortua & humata, at postea SCHIRAM translata est.

Sed nec iste locus diu satis placuit, post sex enim annos à prima translatione, iterum mutata est sedes: & secundo translatum Monasterium è montanis in paulo liberio rem agrum ad Glanum fluvium, qui non procul inde in Ambram cadit, *Ufenhofium*, antiquitus *Glanegk* à fluvio dictum, tribus miliaribus à Schirensi Monasterio situm. Illic in monte S. PETRI (ubi hodie adhuc Templum visitur, ab OTTONE, HAZIGÆ fundatricis filio, & à BERTHOLDO Comite de Burggheim ante duas aras ibidem sepultis, constructum) tertio inchoatum est Monasterium, sub primo adhuc Abbate ERCHENBOLDO. Quo loco cum sedecim annis mansum & propter aquarum in sublimi monte S. PETRI defectum, locus iste etiam parum commodus Monachis visus esset: quarto translatum est Cœnobium nuper inceptum, in ipsam Principum Schirensium (unanimes eorundem omnium consensu) avitam arcem ac sedem, amplam illam quidem, sed admodum ruinofam ac fere desertam, & ad extremam prorsus interneciouem spectantem. Hæc Schirensis Monasterii initia sunt & exordia certissima. Monumentorum nihil amplius ibi est celeberrimum, quam in media Ecclesia sublimis tumulus OTHONIS fundatoris, ac D. HAZIGÆ fundatricis.

IN INGRESSU domus Capitularis est altus de terra elevatus tumulus, sub quo CXX. utriusque sexus Comitum ac Principum Schirensium corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur. Nomina ipsa Comitum
ac

ac Principum istorum interciderunt, sed præcipuorum hujus loci fundatorum ac benefactorum extant.

LUDOVICUS Imperator dedit huic Monasterio omnimodam jurisdictionem in suos subditos, exceptis homicidio, stupro violento ac furtis, & hoc propter maxima damna pro Imperatore exantlata, Anno C. M. CCC. XV.

Confirmat hoc LUDOVICUS Marchio Brandenburgensis filius, una cum aliis Cœnobii privilegiis, Anno MCCCXCIIIX.

Habuit hoc Cœnobium complures tam monasticæ vitæ cultu, quam & litterarum scientia conspicuos viros. Inter quos CONRADUS quidam præcipue enituit, cui hoc monumentum ære perennius posuit Aventinus: (*init. lib. 7. hist. Bojor.*)

CONRADUS PHILOSOPHUS MONACHUS IN SCHEURN PRIMARIUS ET ÆDITUUS, HOMO DILIGENTISSIMUS, QUI MANIBUS SUIS PLUS QUAM QUINGENTA, UT TUM MOS FUIT MONACHORUM, INGENTIA VOLUMINA SCRIPSIT IN MEMBRANIS, POETAS, ORATORES, HISTORICOS, VETERES THEOLOGOS, QUÆ IN SCHEURN MONSTRANTUR, UBI ET CHRONICON EJUS AUTOGRAPHON SERVATUR. IMPERATORE FRIDERICO II. RERUM POTIENTE OBIIT.

In eodem Monasterio affervatur & religiose colitur Crux ex ligno Dominicæ Crucis confecta; quæ quasi spithamæ unius, longitudine; latitudine, duorum est granorum: (quorum quatuor faciunt unciam, seu digitum) Dividitur vero, cum supra; tum nonnihil infra medium, transversis portionibus, quatuor quidem unciarum circa ejusdem umbilicum; duarum, circa verticem. Colore autem est spadiceo, seu castaneo. Porro extrema ipsa senu, forma semilunari facta & effigata cernuntur.

De hac cruce ita Aventinus anno Christi M. C. LVI. CONRADUS iste Dux Dalmatiæ, Comesque Dachuni salutiferæ Crucis, sacrosanctique ligni magnam partem ab Heraclito Patriarcha Hierosolymitano impetravit. Hoc quoque omine, quicumque pressus inopia, valetudineve adversa Solymos proficisci nequiverit, non minorem veniam, quam si illuc ivisset, consequitur: siquidem donaria pro sua pietate elargitus fuerit. Hoc sacrosanctum munus Conradus Dux Cœnobio Schirensi tradidit. Ubi adhuc servatur, ac magna reverentia celebratur: convenit huc certatim singularem septimanarum sexto quoque die populus, ac sacerdotes complures, uti conspeximus.

Fama constantissima manat (sicuti ego quoque à gravibus viris accepi) quicumque hanc sacrosanctæ Crucis partem, dum ei monstratur, conspicatus non fuerit, aut crimini flagitioso obnoxium esse, aut eodem anno procul dubio moriturum. Id quod mea memoria eventu probatum sæpius audiivi. Admodum fabre, magnificeque hæc sacra argento, auroque inclusit Reverendus Pater Dominus Joannes Tarbeit Monasterii Schirensis meæ ætate Abbas, singularis prudentiæ atque diligentiæ homo. Extant adhuc, ac diligenter, & adhuc integra servantur, & obsignata duo diplomata Friderici (Folcherii) & Heracliti Patriarcharum, cum Græcarum litterarum inscriptione, ex quibus pleraque excepsimus.

Ea Diplomata integra cum pererudito commentario & notis reperies in secunda parte Horti S. Crucis R. P. Jacobi Gretferi S. J. qui & inter cetera ad dicta verba Aventini; Ab Heraclito Patriarcha Hierosolymitano, hæc notat.

Nec ab Heraclito; nec ab Heraclio Conradus Dux Dalmatiæ partem Dominicæ Crucis impetravit; quia Heraclius multis demum post mortuum Conradum Ducem Dalmatiæ annis; creatus est Patriarcha Hierosolymitanus; sed sub Folcherio Patriarcha, & Conrado Duce Dalmatiæ, crux, de qua prius diploma, vi Canonico Hierosolymitano adempta fuit; quam postea Conrado de Dachaw, prioris Conradi filio, Heraclius Patriarcha donavit; sed iis conditionibus, quas ipsum Diploma requirit.

ULRICUS III. in Abbatum numero VII. cum esset vir prudens & religiosus admodum impetravit mitram & sandalia à P. M. ALEXANDRO III. (non IV. ut Bruschius & Hundius non bene habent, neque enim ante A. C. clō CCLIV. is iniit) circa annum Domini MCLX. Postea A. C. MCLXXI. XII. Kal. Febr. incendio

condio periit totum fere, hætenus ex ligno tantum exstructum Cœnobium, quod BALDEMARUS Abbas non infeliciter restauravit. Consecratum vero est DEIPARÆ VIRGINI VII. Id. Octobr. ab OTHONE III. Episcopo Frisingensi, A. C. MCCXV. CONRADO Abbate, qui D. MARTINO templum lateribus coctis ædificavit, Sacellum item OMNIBUS SS. à Patriarcha Aquilegiensi dedicatum. Is Romam ivisse, & purpuram inde retulisse traditur. Palæstinam vero voti reus iturus, ab Archiepiscopo Salisburgenfi voto solvitur. Cujus successor HENRICUS exstruxit turrim quadratam, Sacellum S. CATHARINÆ, granarium, & valetudinarium, aliaque plurima, multa etiam vetera instauravit; abalienata redemit & recuperavit, ac etsi tunc temporis varia essent inter Principes & Episcopos bella, tamen omnibus ex æquo charissimus fuit, quia hospitalis & munificus.

Laude dignissimi præterea Abbates ibidem præ ceteris florere UDALRICUS Perchtinger MCCCXXI. CONRADUS Leutzenauer MCCCXLV. ULRICUS Morspack, MCCCXXVI. ejus item successor ULRICUS Münnenbeckius. WILHELMUS Krenperger MCDLXVII. GEORGIUS Sperlin MCDLXXXIX. PAULUS Prew, MDV. M. JOANNES Turbeyt, MDXXXV. ANDREAS Geishoverus, MDXLVIII. JOANNES CHRYSOSTOMUS Hirsbeckius, MDLVIII. GEORGIUS Neupeck, MDLXXIV. BENEDICTUS Prummer MDCX. non tam monasticæ vitæ cultu quam & literarum amore inprimis conspicui, quorum aliqui etiam regularis vitæ observantiam, tam suo, quam aliis vicinis Monasteriis feliciter invexere.

Ejusdem perillustri Cœnobii habenas prospere tenet, ac summa cum laude moderatur Admodum Reverendus in Christo Pater ac Dominus, D. STEPHANUS, utpote, cui hætenus non solum curæ fuerit, ut pietate & eruditione Monasterium suum floreret, cultusque divini pensum DEO accurate persolveretur; verum etiam illud incolis, pietate, religiosa disciplina, literis ac eruditione, libris, novisque ædificiis, templum autem sacra suppellectile, novoque apparatu auxerit & exornarit, & quidem adeo ut jam longe alia, quam olim, rerum facies appareat; adhæc ex ejusdem Cœnobii sui cætu colonias petitas, nominatim ad perantiquum ROTHENSE Monasterium, miserit & deduxerit. Cui proinde ut quod agit, multos adhuc annos agat, DEUM summopere precamur.

MONASTERIUM NOERESHEIM MXCV.

NERESHEYMIUM perillustre ac celeberrimum in Sveviæ quodam tractu, quem ob soli admodum arenosi sterilitatem Duri Campi (*Härtfeld*) appellatione accolæ notant, Monasterium prope ejusdem nominis oppidum, in peramœno colle tribus à Nordlingiaco milliaribus, cis nemus Plossianum videlicet & in Diœcesi Augustana situm est.

Ejus primariam originem perantiquam fuisse oportet, nam in Neresheimensi Ecclesia sepultum fuisse traditur HUPALDUM S. UDALRICI parentem, qui obiit Anno Domini cclō VIII. Et in Chronico Lamberti Abbatis literarum monimentis proditum accepimus, cum Monachi Benedictini in eodem loco constituerentur, Canonicos Regulares, attamen numero paucos ibidem extitisse, qui in aliis Ecclesiis statui suo convenientibus, data eis dispensatione collocati fuerunt.

Pro ordine S. BENEDICTI igitur fundatum ac amplissime dotatum est dictum Cœnobium, A. C. clō XCV. ab HARTMANNO Comite Kyburgensi & Dilingenfi, HUPALDI IV. Filio, & ADELHEIDE uxore sua, accitque duodecim Monachi ex Monasterio Zwifaltensi, quorum sex sacris initiari, ceteri manualia opera exercebant, quos & vulgo Conversos vocare solemus. Iisdem Abbas Præfectus

ERNESTUS, ex Dilingensium etiam Comitum profapia ortus, qui unico tantum anno præfuit, & obiit anno MXCVI.

Succellit eidem HUGO qui obiit A. C. c^{lo} CI. eodem quo Monasterii Neresheimensis ædificia perfectæ & absoluta fuere. Ab ejus obitu præsidere iussus THEODORICUS, ex Baronibus, ut fertur, Groslingensibus, qui anno MCXVIII. extinctus est, cum annos XVII. antistitem egisset. Sublectus eidem Abbas HENRICUS, ex Baronibus, ut quidam notant, Gundelfingensibus, qui anno sequenti eodem die, quo Ecclesia consecrata fuit, solemniter inauguratus est.

Anno namque Dominicæ Incarnationis MCXIX. tempore CALISTI Papæ II. à quo in Germaniam, Azzo Episcopus Aquensis (nonnullis etiam Aquilegiensis) Legatus missus fuerat, qui rogatu UDALRICI Episcopi Constantiensis HARTMANNI Fundatoris filii consecravit Ecclesiam Neresheimensem, in honore victoriosissimæ CRUCIS, & S. DEI Genitricis MARIE, & OMNIUM SS. præcipue tamen SS. UDALRICI & AFRÆ.

Obiit autem dictus HARTMANNUS fundator Anno Domini MCXXI. cum multis prædiis & possessionibus præfatum Cænobium largiter auxisset, &, ut quidam tradunt, ante obitum suum etiam Monachus in eodem Monasterio factus fuisset.

HENRICUS Abbas vero humana reliquit A. C. c^{lo} XXV. & successorem accepit PILGRINUM, sub cujus regimine Neresheimense Monasterium igne periit Anno salutis MCXXVI.

Sequenti anno, nempe c^{lo} CXXVII. non autem c^{lo} CXXXIX. (quod quidam etiam notarunt) obiit UDALRICUS Episcopus Constantiensis, HARTMANNI Fundatoris Neresheimensis filius, antistes magnæ & claræ virtutis, & quamdiu apud mortales egit, auctoritatis. Condidit ex suo patrimonio Monasterium Creutzlingæ Constantiæ in suburbano, itidem ad honorem SS. UDALRICI & AFRÆ. Renovavit item & instauravit iterum pene collapsum Xenodochium pauperum, à S. CONRADO olim constructum, ac liberalissime dotatum. Impetravit etiam à CALISTO II. P. M. ut è tumulo levaretur, ac in apotheosin referretur S. CONRADUS, A. C. MCXX.

HARTMANNUS alter Fundatoris filius, & magnus etiam benefactor ac dotator sæpedicti Monasterii, desiit esse A. D. c^{lo} CXXXIV. cum ibidem quoque ultimis vitæ annis habitum Monasticum induisset.

Supradictus autem Abbas PILGRINUS è vivis excessit A. C. c^{lo} CXL. Cui successit ORTLIEBUS, Pater multorum Monachorum, ut ibidem in archivis habetur. Eodem præidente A. D. c^{lo} CL. consecratum est sacellum B. MARIE Virginis à venerabili ORTHLIEBO, ejusdem cum Abbate nominis, Basilæensi Episcopo, permittente id WALTHERO Episcopo Augustano, loci ordinario.

Anno dein MCLI. obiit ALBERTUS Comes, HARTMANNI Filius, Fundatoris Nepos, cum exemplo parentum & ipse Monasticen ante obitum in Neresheimensi Cænobio professus fuisset.

Postea A. C. c^{lo} LXIV. mortalitatem exiit ORTLIEBUS Abbas, post quem creatus est HENRICUS de Ramstein, quo præidente basilicæ SS. ANDREÆ & BLASII igne conflagrarunt, scilicet Anno Domini MCLXX. quo etiam obiit ALBERTUS Comes ALBERTI superioris Filius Advocatus & Benefactor Monasterii Neresheimensis, cui etiam contulit Copsingen & Ostrivil quidquid ibidem sui juris erat, & reliquit post se filium HARTMANNUM, qui dedit supradicto loco Crucem auream majorem cum candelabris & prædium in Wiffmanc, quod propter remotioris viæ incommoditates venditum est, pecunia in alios Ecclesiæ usus conversa: obiit A. C. MCLXXX. relicto filio ALBERTO, qui in bellis præclarus res tam Romæ, quam Hierosolymis gessit, & contulit huic loco minus Cuchen.

Basilicæ vero SS. ANDREÆ & BLASII quas paulo ante igne periisse memoravimus dedicatæ sunt A. D. MCLXXXVII. Obiit præfatus ALBERTUS Comes A. C. c^{lo} CCXIV. secundum alios c^{lo} CCXXIX. & reliquit filium HARTMANNUM, qui dedit Neresheimensibus crucem auream minorem cum aliis donariis, habuitque duos filios ALBERTUM, & UDALRICUM, quorum prior Dilingam, posterior

Kybur-

Kyburgum possedit, qui & possessionibus aliquot Monasterium hoc auxerunt. Habuit ALBERTUS filium HARTMANNUM; qui reliquit tres filios & totidem filias: HARTMANNUM Episcopum Augustanum qui Dilinganam arcem, comitatum Wittislingensem ac omnes ferè pagos Werdæam usque Episcopatus donavit A. C. clō CCLXXII. & obiit anno clō CCLXXXVI.

Filiarum nomina & conjugia ita produntur à nonnullis: UDELHEIDIS Comitiss FRIDERICI de Zollern uxor. 2. WILBURGIS ULRICO Comiti ab Helfenstein desponsatur. 3. PRISCA Comiti ab Hekkenstain & Haidenheim; vel potius Baroni ab Hellenstain nupsit.


Erat olim amplissimum hoc Cœnobium, sicut & cetera pleraque per illa tempora, Romanæ Ecclesiæ immediatè, ut vocant, subiectum; hinc A. C. clō CCXXXIII. PHILIPPUM Nuncium Apostolicum censum privilegii ejusdem Monasterii recepisse, in vetustis literarum monumentis memoriæ proditum accepimus, GREGORIO IX. P. M.

Cæterùm frequentibus incendiis non tam à casu fortuito, quam ab hostibus illatis hoc Monasterium gravissima damna pertulit. Nam quo tempore Gibellinorum, & Guelphorum pestes exortæ, longè, latèque sævire, ferro, flamma, vastitate undique grassari cæperunt, plerisque in civitatibus, & urbibus ortæ inter Ecclesiasticos, & laicos dissensiones, & turbæ; illis pontifici, his Imperatori ad hærentibus. Hinc accidit, ut A. C. MCCXLVI. CUNRADUS CÆS. qui per patris FRIDERICI II. absentiam Germaniæ præerat, ob odium HARTMANNI & ALBERTI Comitum Dilingæ, qui in fide Pontificis permanerant, Neresheimensem Ecclesiam incenderet, & anno sequenti cum iterum ibidem castra posuisset, adjacentia quæque succenderet; Cùmque idem Rex anno MCCXLIX. tertia vice castra sua in Neresheimensi territorio collocasset, HENRICUS Burgoviæ Marchio claustrum & ecclesiam SS. ANDREÆ & BLASII succendit.

Cum itaque per Imperii turbas, & dissensiones, tot undique sæda facinora patrari, rapinas, injurias, incendia, cædes, funera fieri conspiceret generosus Dilingæ Comes ALBERTUS, Cœnobium Neresheimense contra frequentes inimicorum Ecclesiæ insultus vallis & propugnaculis munivit, castro in colle S. ANDREÆ collocato, A. D. MCCL. Idem Comes biennio post Lauinganos rebelles & Ecclesiæ hostes sub jugum misit, eisque castrum imposuit, & obiit A. C. clō CCLVII. patre HARTMANNO adhuc superstite, qui tamen & ipse vivere desiit anno sequente. Cùmque solus hujus nominis & familiæ Comitum Dilinganorum restaret HARTMANNUS Episcopus Augustanus, Ecclesiam hæredem scripsit quod supra notavimus, atque cum eo perillustri & nobilissima hæc familia interiit. Eodem autem anno MCCLVIII. quo obiit HARTMANNUS senior, LUDOVICUS Comes Ottingensis Neresheim cum omnibus ad id pertinentibus occupavit, atque hinc prædicti comites etiam hujus loci Advocati evaserunt.

Post non multos annos, nempe MCCLXI. circiter, idem Monasterium rursus flammis absimitur. Quod rursus accidit A. D. clō CCCLXXXIX. & clō CDV. Abbates ejus loci tam generis nobilitate, quam religione, & ordinis observantia clari, usque ad modernum A. R. D. BENEDICTUM tam doctrinæ quam virtutis laude longè clarissimum, varia sæpe fortuna usi, diversa à vicinis passi capti etiam semel ac iterum, & cum Conventu in exilium acti, cum prædia eorum interim & possessiones, ferro ignique hostiliter vastarentur.

Placet verò etiam hic stemma Comitum Kiburgensium & Dilingensium Fundatorum & maximorum hujus Monasterii benefactorum inferere, utpote quod non ubi vis sit obvium, & quia ob certas rationes in nonnullis à Bruschio dissentire cogor.



MONASTERIUM ELCHINGEN MCXXVIII.

ELCHINGUM olim Aychlingum à vicino quercetu dictum, prædonum aliquando castrum, accolis & viatoribus, qui illud non sine horrore ac tremore transierant, sane invifum, post vero melioribus auspiciis ad DEI servitium conversum, ac etiamnum hodie magnificentum instituti nostri Monasterium, in Augustana diœcesi (quam non procul ab hoc Cœnobio, parvus quidam fluviolus; qui per Dalsingam, propter salubres thermas celebrem pagum, defluens, Danubio immergitur, à Constantiensi dirimit) infra Ulmam nobilem Sveviæ civitatem Imperialem, ad sinistram descen.


descendentis Danubii in sublimi monte (ex quo omnis Ulma, & multa circumjacentia oppida, videlicet Günsburgum, Leiphemium, Weiffenhorna, & alia videri possunt) amœnissimo loco situm est, cujus fertilitatem pluribus commendat F. Felix Fabri *Hist. Sæv. lib. 2. c. 12.* Qui in etymologiis quidem inepte absurdus, miras nugas blattit de gentiliū Deorum prisco cultu, & intricatas gerras nectit in hujus Monasterii tædiosa enarratione. Etsi vero ejus monumenta non accurate magnificeque scripta sunt, continent tamen aliquid quod legi possit, & sunt cognitione dignissima, iis præsertim, qui non tam scriptorum elegantiam desiderant, quam notitia delectantur antiquarum rerum. Is itaque inter cetera hæc habet:

Totus mons ille uliginosus est & spongiosus, desudantque undique ex eo aquæ, quas ab imo attrahit in supremum, & videtur imaginanti quod ex aquis confurgat radicesque suas in subterraneis aquis fixas habeat, & tantæ molis gravitas aquis supernatet, unde quia mons humidus est, fœcundam habet glebam, præcipue cum ad hoc habeat solis & aliorum siderum valde generosum aspectum & nulli dubium, quin ante hominum in loco habitationem fuerit mons ille ingentibus ilicibus plenus; excisis autem arboribus produxit humus diversi generis medicinales herbas & aromaticas plantulas; nam hodie herbarii in lateribus montis illius quærunt radices virtuosas & herbas odoríferas pro aquarum medicinalium destillatione, & balneorum confectiōe, & unguentorum compositione. Nam ea, quæ in remotis & calidis regionibus crescunt ibi inveniuntur, quia gleba mollis illius videtur singulari quadam fœcunditate esse à conditore imprægnata. Ibi aer serenior, terræ fœcundior, aqua sanior, & ignis quodammodo clarior rutilans invenitur. Ibi non solum terræ nascentia sponte genita valent, sed omnia plantata, seminata, & locata uberius fructificare constat; sed & animalia ibi generata robustiora & cariora sunt, & præcipue equi adeo boni & fortes ibi gignuntur, ut Principes à longe positi à loco illo sibi mitti equos procurent, aut à regionibus suis mittunt equas in locum, ut ibi nutritæ & imprægnatæ genita recipiant; similiter vacca tauri, oves, porcelli lacte & fatibus, carne, cute & lana præcellunt. Sed & gallinæ magis ibi orant, & cetera omnia vi generativa valent: & hoc ex naturali terræ situ, respectu cæli & siderum.

Hæc ille de loci illius fertilitate. Reliquam vero hujus amplissimi Monasterii historiam ita confundit, ut nihil supra; sæpe in ea apparet ridiculus, nonnunquam sibi ipse dissentaneus: scilicet ut quidque legerat apud varios scriptores, ita variis in locis inculcavit sine judicio, sine consideratione, haud scio dicamne etiam sine memoria. Historiam itaque horum temporum, quæ quidem Fundatores attingit, pluribus ut complecterer, operæ pretium duxi.

Cum A. C. clō. CXXVI. HENRICUS V. Imp. Trajecti XV. Kal. Junii, absque prole decessisset, & Principes Wormatiæ comitia Imperatoria habuissent, plerique LOTHARIUM GEBHARDI Comitum in Suplenburg & Arnsperg, ex Comitibus à Querfurt oriundi F. Saxonie ducem ab HENRICO V. institutum, regem Romanorum nominarunt, atque Idibus Septembris Aquisgrani coronandum curarunt. Unde primum eum sui regni annum numeravit, competitoribus CONRADO Franconie Duce, HENRICI Imp. defuncti ex sorore nepote, LEOPOLDO Marchione Austriæ, & CAROLO comite Flandriæ. Ceteri brevi in ordinem redacti, gravior adversus CONRADUM & fratrem ejus FRIDERICUM Sæviæ ducem contentio fuit, quos tamen LOTHARIUS, auctoritate maxime, & interventu D. BERNARDI claræ vallis abbatis conventu Bambergensi, in gratiam sæpius victos recepit. Ab hoc LOTHARIO Cæsare, CONRADUS qui magnus cognominatur, Marchio Landsbergæ & Lusatia, primus suæ stirpis, Marchio Misniæ investitur. Anno clō. CXXVI. Is uxorem habuit LUITGARDIM (non LUCIAM, ut F. Felix, & Bruschius male habent) sororem CONRADI qui post LOTHARIUM, A. C. clō. CXXXVIII. Imperator electus, Welforum partes, à tempore HENRICI IV. jam captas, adversas habuit, expeditionem Hierosolymitanam, hortatu S. BERNARDI Clarevallensis paravit, in qua ipsemet Francofordiæ, cum multis Germaniæ Principibus ac ipso Welfone Duce adversario suo cruce signatus est, at exercitu eorum, partim inedia & aeris intemperie, partim Sarracenorum armis, ac Græcorum dolis & fraude, pene deletus, infelicem,

ut sæpe, habuit exitum expeditio illa adverso numine incæpta; cum negotio infecto, & ob ingentem suorum cladem, animo consternato, redire coactus sit Imperator; Bello autem post reditum, inter ipsum & Welphonem redintegrato, tunc primum auditum esse dicitur nomen Guelphorum ac Ghibellinorum; A duabus enim hisce familiis, de Weiblingen & Welphis, ex quarum prima Imperatores, ex altera vero præpotentes Duces sunt exorti, quæque per multos annos de primatu inter se concertarunt, multi autumant, factiones Welphorum & Ghibellinorum postea in Italia exortas, quæ primum sub FRIDERICO secundo Imperatore audiri cœptæ, diu propter Romanorum Pontificum ac Cæsarum discordiam, Christianam Rempublicam afflixerunt. Sed ut Fundatorum Elchingensis Cœnobii stemma clarius perspicui possit, & quorundam ineptiæ confundantur, genealogiam familiarum, qua parte se invicem attigere, ut eam ex probatioribus scriptis elicui, subjungam.



Cum itaque ut diximus, CONRADUS Fundator primus suæ stirpis Misniæ Marchio constitutus esset à LOTHARIO Imp. A. C. clō. CXXVI. ut Deo gratus esset, non CONRADI, (qui nondum erat Imp.) jussu, sed pro seculi illius in Deum pietate, & in homines religioni mancipatos munifica liberalitate, Castrum Aichlingense, quod uxori suæ LUITGARDI dotis nomine obvenerat, ejusdem consilio & assensu ad DEI servitium convertere, ibique pro D. BENEDICTI regulam professis monachis Cœnobium construere decrevit, quod & biennio post, anno nimirum clō. CXXVIII. perfecit, & templum ad honorem DEI OPT. MAX. sub patrocinio B. MARIE VIRG. SS. Apostolorum PETRI & PAULI, ac D. BENEDICTI, adjecit. Hanc foundationem doctissimus hujus Cœnobii Abbas Andreas Thierlinus hoc dyticho complexus est.

*Saxonici generis princeps, clarissima & uxor
L superis dicant hæc loca Cœnobio.*

Sed non diu feliciter stetit hæc fundatio, nam pro temporum illorum calamitate & perturbatione, quibus omnia vicina loca bellis intestinis flagrabant, paucis annis à prima sua fundatione, incendio misere periit, penitusque collapsum est. Ea ipsa ætate ALBERTUS Comes de Ravenstein & Irzenburg (cujus uxor BERTHA, Comitissa de Ravenstein, pro Diva colitur, eo quod nivales anseres, ut vocant, ex hac tota provincia Danubiana fugarit) in expeditione D. BERNARDI præcipue monitis suscepta, cum CONRADO Imp. & ceteris Principibus Hierosolymam profectus, vovit se ædificaturum ad honorem DEI omnipotentis, & Deiparæ virginis gratitudinis ergo Monasterium, si Dei bonitate & misericordia salvus rediret in patriam. Inde accidit, ut cum incolumis domum remearet, videretque incendio misere vastatum novum hoc Monasterium, cœperit è vestigio maximis sumptibus id ipsum restaurare, A. D. clō. CXLII.

De qua fundatione dictus Abbas hæc metro lusit.

*Post M. C. post bis duo X. binos simul annos
Virginis à partu tale resurgit opus.*

In insignia Ravensteinensium Comitum.

*Quisquis ad ista pie dubitans adspexerit Armâ
Ravenstein Comitum stemmatis esse sciat.*

Confirmata est hæc fundatio, & Monasterium in Apostolicæ Sedis protectionem susceptum sub annum clōc. XLIV. à LUCIO Papa II. Habuitque ab initio Advocatos ipsos Rom. Imp. qui nonnunquam alios, præsertim Comites ab Helfenstein vice sua substituerunt; tandemque hoc privilegium concesserunt, ut Abbas & Conventus ipsi per se possent Advocatum quemcunque sibi placitum eligere.

Juxta idem hoc Elchingense virorum Cœnobium, sanctimonialium etiam reclusorium fuisse, traditur. *Fuit enim ista Consuetudo*, inquit Trithemius in Chronico Sponheimensi, *pene in omnibus nostris & regularium tunc celeberrima Christi monasteriis, ut quanto viris essent viciniore, tanto facilius eorum vigilantia moniales ab antiqui hostis insidiis tuerentur.* Idem ibidem causam abrogationis hujusmodi reclusorium subjungit.

FRIDERICO Zwirnero Abbate (qui iniiit clō CDXXXI. & obiit LXV. ejusdem seculi) fulmine exustum, & vicissim instauratum est hoc Monasterium.

Rursum A. C. clō DXLVI. bello Germanico idem Cœnobium ab Hispanis occupatum, & die S. GALLO sacro ab Ulmensibus incensum ac universum pene deletum est cum templo ac omnibus ædificiis; in qua calamitate jacturam fecit ducentorum milium aureorum, & insignis Bibliothecæ; nam & omnia templi ornamenta & monumenta perierunt, nihilque mansit integrum. Sed subjugata ab Imp. CAROLO V. Svevia, cum Monachi Cœnobium recepissent, ab Abbatibus subsequentibus sedulo instauratum, in eumque splendorem, quo adhuc nobiliter floret, perdictum est.

Et quamquam semper fere floruerit, tum tamen singulariter enitere visum est, cum circiter A. C. MCDL. strictiorem vivendi normam, & reformatam, ut vocant, Monasticæ disciplinam recepit, in qua non solum ita profecit, verum etiam excelluit, ut eandem in alia Monasteria quoque propagaverit, nimirum Ursinense, Utenburanum, Anhusium Brentianum, ac Neresheimium, missis è suo gremio Monachis ad instaurandam Regularis disciplinæ observantiam idoneis. Cujus laus adhuc vel maxime in eo viget, quod A. R. D. THOMAS Abbas ibidem ex Decreto Synodi Diœcesanæ Aug. primus Ord. per totam diœcesim constitutus Visitator, iterumque confirmatus eodem munere summa cum laude regularisque observantiæ emolumento fungatur, quem proinde Deus Ordinis nostri bono longum servet, omnique bonorum genere magis ac magis augeat. Sic voveo, sic precor.

MONASTERIUM

URSIN MCLXXXII.

URSINIUM vel (ut nunc corrupte dicitur) Irisingum, olim castrum eo ipso loco conditum, ubi hodie S. STEPHANI templum in editiore colle conspicitur, nunc vero Monasterium Ordinis nostri amplissimum ac pulcherrimum, paululum infra Kauffburnium oppidum Imperiale non procul à Vindice seu Wertachio amne, in mediis densissimisque nemoribus situm: fundatum & locupletatum est A. C. clō C. LXXXII. regnante FRIDERICO Barbarossa Svevorum Duce, ac bellicosissimo Imperatore, ab HENRICO Marchione de Rumspurg & ejus filiis GODEFRIDO

ac

Q

ac BERTHOLDO & IRMELGARDE filia, in media ecclesia ibi sepultis cum tali inscriptione:

*Hic generosorum feliciter ossa quiescunt
A Rumsperg Comitum BERTHOLDI & GODFEDERICI,
IRMELGARDE simul dilecta cumque sorore.
Hujus Cœnobii qui primi rite fuerunt
Autores vera commoti religione.
Ergo Deo vivant æterna pace fruentes:*

HENRICUS Fundator profectus cum FRIDERICO Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli A. C. cl. CLXXXVIII. Hic exceperat ex UDILHILDE conjuge GODEFRIDUM primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reuectus inde Utenburam, ibi honorifice est sepultus. Postea ex Utenbura ad Urfinense Monasterium relatus una cum fratre BERTHOLDO honorifico Mansolæo conditus est, sub Abbate ejus loci XXIII. PAULO Neccharo. Secundus vero filius BERTOLDUS, illustrissimum totius Sveviæ speculum, obiit in quodam conflictu prope Rhenum, iturus cum OTHONE excommunicato Imp. in Saxoniam. IRMELGARDIS autem filia, nupsit Baroni cuidam de Ultimis, genuitque UDALRICUM de Ultimis magnum imprimis Urfinensis Cœnobii benefactorem, qui habitabat in Adelburgo Athesinæ regionis castro.

Est in eodem Cœnobia celebris sepultura nobilium heroum à Bentzenaw, JOANNIS patris, & WERNHERI filii, qui vixerunt annum Christi circiter cl. CDXL. Item JOANNIS Equitis aurati, qui obiit anno cl. DXV. & GEORGII à Bentzenaw qui obiit anno cl. DXXXV. reliquitque filium GEORGIUM SIMPERTUM eruditæ antiquitatis, & antiquæ eruditionis amantissimum hominem, XVIII. liberorum parentem.

Primus autem qui locum hunc religiosa & monastica disciplina imbuit, & Prioris Claustralis titulo rexit, fuit WERNHERUS, ex Inensi Cœnobia evocatus annum Christi circiter cl. CLXXXIV. Is fretus auxilio HENRICI Marchionis, habitationem fratrum, eremum ibi in Ybergeni nemore densissimo colentium, è filvis transtulit in locum amœniorem, in montem videlicet Urfinum, idque factum est A. C. cl. CLXXXV. Qui cum ibi Monasterium cum templo constituisset, ad Monasterium suum Inense reversus est, cum prius primus loci illius Abbas institutus fuisset CUNO, ex Utenburano Cœnobia evocatus, anno proxime dicto. Is admonitus à Mengoso fratre sanctitate & prudentia conspicuo (cui B. V. MARIA in visione præclara apparens, præelectum à DEO Monasterii construendi locum demonstraverat) transtulit Monasterium è monte in pedem & planiciem adjacentem monti, idque in honorem B. MARIE Virginis consecrari voluit.

Itaque sumptibus HENRICI de Rumsperg Fundatoris, & GODEFRIDI filii, cœpit ædificare habitationem paulo splendidiorem: antequam tamen perficeretur, ipse CUNO Abbas ex hac misera ad beatiorum translatus est vitam.

SUCCESSOR autem ejus RUDOLPHUS, ex Ochsenhusio adscitus, vir eloquens & doctus, ædificavit Sacellum S. NICOLAI, quod Paradisum vocant, consecratum ab UDALSCALCO Episcopo Augustano A. C. cl. CLXXXVIII. secundum alios, XCV. Sepelivit etiam in eo WERNERUM primum loci hujus gubernatorem, & CUNONEM Abbatem.

Is locus postea etiam Fratrum Monasterii, & nobilium Laicorum sepulturæ destinatus est; & primus vir nobilis ibi sepultus, WALTERUS à Baysweyl fuisse legitur.

Præ cæteris benefactores hujus loci celebrantur, imprimis vidua quædam nobilis & opulenta D. GERTRUDIS, quæ post obitum mariti sui HENRICI de Bickhenriedt plurima contulit ad Monasterii hujus amplificationem, quæ in eodem Monasterio humata est annum Christi circiter, cl. CCLXIX.

Post nonnullos etiam annos CONRADUS de Ramschwag advocatus hujus Monasterii fidelis, Ecclesiam Ingenriedensem cum jure patronatus, & totam illam
Advo-

Advocaciam cum omnibus ad eam pertinentibus redditibus tradidit huic Ursinensi Monasterio in liberam dotem.

Plurima & gravissima damna etiam hoc Cœnobium perpeffum est, eo tempore, quo LUDOVICUS Bavarus contra FRIDERICUM Austriacum bellum gerebat, quando omnia ista loca cædibus ac direptionibus erant infestissima. Ea damna diligentissime refarcivit CONRADUS II. hoc nomine Abbas, non solum bonus Oeconomus, verum etiam aurifaber, sculptor & pictor egregius, qui ambitum Monasterii primus lapideum fieri & concamerari curavit A. C. c. l. o. CCCXXXIV.

Cumque aliquot post annis ob negligentem, imo prodigam administrationem ad extremam pene inopiam devenisset, CONRADUS Haufanus Abbas institutus A. C. c. l. o. ICD. Monasterium egregie restituit, fratres revocavit, ac licet idem incendio pene universum periisset, non solum id eximie instauravit, sed & turrim ac multa alia nova ædificia prioribus addidit. Idipsum sedulo etiam præstitit successor ejus HENRICUS Eßeler, qui decem florenorum milibus villam Bayswil comparavit.

Rursum A. C. c. l. o. DXXV. XIII. Maji hoc Cœnobium misere vastatum & incensum est, sed opera PETRI Fendii Abbatis egregie instauratum. Quod successor PAULUS Neccharus ædificiis pulcherrimis, & insigni Bibliotheca auxit & illustravit. Sub ejus tamen regimine A. C. c. l. o. DXLVI. rursum spoliatum est hoc Monasterium à Smalchaldici Fœderis affeclis. Cetera insigne est hoc Cœnobium, & vix ulli nostri Ordinis tam pulcherrimorum ædificiorum splendore, quam eorundem ad usum egregie accommodatorum commoditate cedere videtur.

MONASTERIUM

S. MONS ANDEX MCXX.

MONS Andechsius, qui à sanctitate nomen accepit, & est quodammodo commune Cœlitum Mausoleum tota Germania ob cineres Sanctorum ibi maximo numero conditos est inclitus; nam tot ibi Beatorum servantur exuvia, tot pignora sanctitatis custodiuntur, quæ à frequentissimis tam advenis, quam indigenis adeuntur, qui nova quotidie beneficia, DEO Divisque gratulantur, uti jure suo non Sanctus tantum, sed conditorium Sanctorum, Cœlitum domicilium, terrarum præsidium, & omnium ægrorum & miserorum, publicum quodammodo jatrium & asylum appellari possit. Fuit ANDEX arx, sedes olim Andecensium nobilissimæ stirpis Comitum, hodie celeberrimum, ob frequentes præsertim peregrinationes, nostri Ordinis Cœnobium, ad DEI cultum ex arce hac fere ratione traductum.

B. BASSO seu RATHO, ejusdem stirpis surculus, (cui pater Rathbotho, avus Ratholdus, caput gentis Andexianæ, quem ARNULPHO Cæsare natum tradunt) tetracha Bojorum, curabat limitem, qui ad orientem pertinet, & hodie Austria est, vir ingens, & statura tam procera, ut communem hominis modum excederet, uti saxum ad modum corporis ejus factum ostendit. Ratho cum Juditha Henrici principis Bojorum & Saxonum conjuge, Arnulphi seu Arnoldi mali filia, Hierosolymam adiit, indeque magnos rerum sacrarum thesauros secum detulit; ædem sacram CHRISTO, & CHRISTI per orbem nunciis PHILIPPO & JACOBO ad Ambronem in superiori Boica condidit; contubernium in S. BENEDICTI leges juratis adjecit,

ipseque pars familiae factus, sacra ex Palæstina monumenta allata ibi reposuit, ac beato post fine conquevit A. C. DCCCCLIV. XV. Cal. Julii. Corpus ibidem in mausoleo conditum, hodieque maxima populi quotannis frequentia colitur, innumerisque votis, prodigiis, & anathematis celebratur, quamvis sacrae Divorum reliquiae cum ipsis religiosis ad MONTEM ANDECENSEM migrarint, cum reversus in Boicam Hunnus Cœnobium solo æquavit, ab OTHONE Imperatore in campis Lycatiis ad interneccionem deletus.

Posthæc circa A. C. cl. CXX. BERCHTOLDUS Comes Andecensis primæ hujus loci foundationis auctor extitit, cum duos dicti Ordinis Religiosos, ex Seonensi Cœnobio accitos, huic Sancto Monti præfecit, & prædia ac possessiones adjecit. Literæ foundationis extant; hanc confirmavit HERMANNUS Episcopus Augustanus, anno præscripto. Eandem auxit postea HENRICUS Comes Andecensis, & SEYFRIDO Episcopo Augustano curam Capellæ, & Fratrum ibi degentium resignavit, quos ipse in suam tutelam recipit A. C. M. C. VC. Eorundem amborum diplomata adhuc extant.

Verum cum A. C. cl. CCVIII. PHILIPPUS Imp. ab OTHONE palatino à Wittelbach in regio cubili nefarie confossus occubisset, & duo ultimi Comites Andechsii, hujus facinoris conscii haberentur, anno sequenti cum paricida proscripti sunt, & arce Andecensi everfa, bona direpta, possessionesque eorum victores occuparunt. Monachi loci curatores, qui sacris exuviis timebant, eas terræ infoderunt circa A. C. cl. CCXXIX.

LUDOVICUS inclitus Bojorum Dux LUDOVICI IV. progenitor ædem sacram Andexii, quæ cum arce ante L. annos diruta erat, refecit circa A. cl. CCLXVI. vel ut alii cl. CCLXXV. A. C. cl. CCCLXXXVIII. sacra monumenta, quæ ibi diutius sub terra latuere, à Jacobo Dachauer Franciscano reperta, jussu Principum Monachium translata, ibidem ostensa populo, postea ad montem sanctum Andex relata sunt per Ernestum Ducem, qui ibi Collegium pro septem mystis instituit. A. C. cl. CDXXXVIII. & Montem Sanctum appellari jussit.

ALBERTUS Dux Bavariæ, Comes Vochburgensis, filius ERNESTI, auctoritate S. P. amotis Præposito & Canonicis secularibus, denuo ibi substituit Monachos Benedictinos ex Tegerensi Cœnobio evocatos, A. C. cl. CDLV. Quibus postea anno LVIII. ejusdem seculi primus Abbas præfectus est EBERHARDUS, eodemque solenni benedictione ordinatus, quo & ipso die D. JACOBO sacro Ecclesia reconciliata, in eaque octo Altaria, una cum ambitu & sacello ibidem consecrata sunt. Hæc pauca e pluribus delibare, sed pluribus profèqui nolimus, quod hæc non solum passim apud Aventinum, & Vitum Arempeckium obvia sint; verum etiam quia singularis editus circumfertur tractatus, vernacula lingua conscriptus, & Monachii editus, de fundatione, chronologia, & sacris reliquiis Andecensibus. Unum addo, tot hic asservari beatorum cineres, tot pulveres martyrum sanguine irrigatos, tot homologetarum ossa, tot virginum exuvias, ex diversis orbis partibus allatas, aureisque & argenteis ac gemmeis tabulis, ferculis, pognatis, urnis, arcis, doctissimis artificum manibus elaboratis clausas & illustratas, ut admirationem superent. Hunc vero locum tot beatorum pignoribus auctum, tot populorum anathematis ornatum, magis etiam indies augment & ornant religiosi viri, non tantum pietate & monastica disciplina spectabiles, quam etiam bonis literis & doctrinæ laude præclari. Regnat enim apud eos honestas, cultus pietatis, & litterarum sacrarum assidua tractatio.

MONASTERIUM DECKINGEN CIO. CXXXVIII.

DECKINGUN Monasterium Diœcesis Augustanæ in extrema Rhetia ora, summo colle situm, quo totius Comitatus Oettingensis regio videri potest, non procul ab antiquo Comitum Oettingensium castro tempore C. Julii Cæsaris fructo, quod vulgus Hornburgum appellat, uno miliari à Nördlinga civitate Imperiali situm, perantiquum fuisse oportet, quamquam de prima fundatione nil certi constat, id tamen certo certius colligitur ex Diplomate Cæsareis.

Nam Anno Domini MVII. S. Henricus hujus nominis II. Romanorum Rex, dictus Claudus, tradidit Ecclesiæ Babenbergensi locum Teckingen, prout ex ipsius diplomate patet, quod ita se habet:

In nomine SS. & Individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex.

Saluberrimis igitur sacri Eloquii institutionibus erudimur & admonemur, ut temporalia relinquentes bona, & terrena post ponentes commoda, æterna & sine fine mansura in cœlis studeamus adipisci consistoria. Quapropter nos Dominicis non surdum auditum præbentes præceptis, & Deificis obtemperando intendentes suasionibus nostræ paternæ hereditatis locum Babenberg dictum, in sedem & cultum Episcopatus sublimando proximus, & Romana auctoritate, atque Venerabilis Henrici Wirtzeburg: Episcopi consensu, ac pari communique omnium nostri fidelium tam Archiepiscoporum quam Episcoporum Abbatumque nec non Ducum & Comitum consultu decretoque, in honore S. Dei genitricis Mariæ sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, nec non Martyrum Kiliani atque Georgii stabilivimus & corroboravimus, ut ex inibi nostrum parentumque nostrorum & Ottonis III. videlicet Imperatoris antecessoris ac Senioris nostri celebre haberetur memoriale, & jugis pro omnibus Orthodoxis hostia mactaretur salutaris. Proinde noverit omnium nostri fidelium tam præsens ætas quam & successura posteritas quia nos nostræ quendam proprietatis locum Teckingen dictum in pago Rietzzin, & in Comitatu Sighardi Comitum situm, ad eandem supradictam Episcopalem sedem, una cum omnibus ejus pertinentiis sive adhaerentiis, videlicet villis, vicis, Ecclesiis, servis & ancillis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, viis, inviis, exitibus & redditibus, quæsitis vel inquirendis, silvis, venationibus, aquis, piscationibus, molis molendinis, rebus mobilibus & immobilibus, ac cæteris omnibus, quæ rite scribi, aut appellari possunt quoquoque modo utilitatibus hac nostræ auctoritatis præceptali pagina, prout firmiter possumus, donamus atque proprietamus omnium contradictione remota. Præcipientes igitur ut nobis in Deo dilectus supradictæ sedis Eberhardus Episcopus suique successores, liberam dehinc habeant potestatem, eundem locum Teckingen dictum cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi, seu quicquid sibi libeat modis omnibus in usum Episcopatus inde faciendi. Si quis igitur, quod absit, hujus nostræ donationis munificentiam destruere sive violare præsumet, in die Judicii coram oculis Dei tormento inextinguibili æternaliter luat. Quod ne eveniat, sed hæc traditio nostra ab omnibus perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes Sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Data Cal. Novemb. indict. V. Anno Dominicæ incarnationis MVII. Anno vero Domini Henrici II. regnantis VI. Franckensurt feliciter, Amen.

PRIVILEGIUM EJUSDEM S. HEINRICI IMPERATORIS SUPER ABBATIAM S. MARTINI EPISCOPI IN TECKINGEN DE DODATIONE, DE JURE ADVOCATLÆ ET ADVOCATO.

In nomine SS. & Individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Redemptoris nostri Salvatoris doctrina nos admonet ut nostros Thesuros reponamus in cælo, ubi non timetur fur nec tinea, nec erugo. Sed & Paulus affirmat hæc esse insuturo metenda quæ in hoc mundo fuerint seminata. Quapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus innotescat, quia cum haberent parentes nostri Abbatiam in Rhetia, in Comitatu Sighardi Comitum Teckingen dictam in honore Domini & Beatissimi Martini constructam, nos ipsam Abbatiam hereditario Jure nobis propriam tam pro ejusdem sanctissimi Confessoris Martini, quam nostra ac eorundem parentum nostrorum perpetua salute, prædiorum largitione, ditare curavimus eamque nostro Babenbergensi Episcopatu in honorem Beati Petri Apostoli sanctique Georgii Martyris constructo, imperiali munificentia contradidimus, quatenus uni familiare præberetur obsequium, nec alteri deesset piæ defensionis maternale solatium. Dedimus eam ipsum locum præfatae Ecclesiæ cum omni legalitate ad eundem locum pertinente videlicet utriusque sexus mancipiis Ecclesiis, ædificiis, areis, exitibus & redditibus, agris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, pratis, pascuis, viis & inviis, aquis aquarumve decursibus, molis, molendinis, rebus mobilibus & immobilibus & cum omnibus vel quæ in hoc tempore habet vel postmodum habiturus est. Porro locum ipsum ab omni oppressione liberum fore censuimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcumque prædia vel a parentibus nostris vel à nobis, aut à quocunque hominum iuste ac legaliter fuerint vel fuit eidem loco delegata, sine omni gravamine, sine molestia sine inquietudine, servientes inibi Deo possideant. Sane Advocatiam supradicti loci sub tali conditione instituvimus, ut Advocatus per semetipsum eam sine subadvocato administret. Placitum vero cum colonis bis in anno hoc est ante festum S. Michaelis & ante Quadragesimam habeat; & tunc detur ei servitium, duo modii tritici, modius siliquis, porcus inductilis, porcus lateralis & porcellus, sex casei, centum ova, octo pulli gallorum, urna vini vel medonis & urna constet ex XXX. pecariis, duæ urnæ cervisæ.

duo acervi avenæ, modius avenæ vel hordei. Hæc justitia Advocati. Præcipiendo itaque jubemus ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, nulla denique magna parvaque persona, hanc nostra institutionis auctoritatem aliquo conatu infringere præsumat. Si quis autem, quod absit, temerarie contra hanc venire præsumpserit, seipsum coram summo Judice Deo damnabit & iram sibi in die furoris Domini thesaurizabit. De quarum rerum veritate ut per successiva tempora nullus reddatur ambiguus, hoc imperiale præceptum inde conscriptum manu propria roborantes Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data V. Id. Octob. Indiçt. XV. Anno Domini Inc. MXVII. Anno vero Domini Heinrici II. regnantis XV. Imperantis autem III. Actum Franckenfurt feliciter, Amen.

Postea ad summam egestatem, & omnimodam desolationem redactum est hoc Monasterium propter varia bella, & turbulentum Imperii statum, iis præcipue temporibus, quando inter Sacerdotium & Regnum schisma erat, & in tam miserabili conditione permansit, usque ad tempora S. OTHONIS ex Comite Andecensi & Imperatoris Cancellario, Episcopi Bambergensis VIII. & Pomeranorum Apostoli, omnium fere orthodoxorum Germaniæ scriptorum præconiis celebratissimi, plurimorumque Monasteriorum fundatoris & restauratoris liberalissimi, qui Monasterium hoc Deckingense (quod olim prædium optimo jure, hoc est, immune fuit, Ein frey ledig guet) A. C. clæc. XXXVIII. restituit, & quasi de novo fundavit, & dotavit.

Eam fundationem ratam habuit & privilegiis auxit LOTHARIUS Imp. A. D. clæ CXXXIX. Confirmavit INNOCENTIUS II. P. M. Anno Domini clæc. XL.

Utrum vero ædificia vivente adhuc S. OTHONE sint constructa, dubium controversumque est, nam in pervetusto codice ejusdem loci hæc annotantur: A. D. clæ CLXI. fundamenta hujus Monasterii inchoata sunt. Anno clæ. C. LXXXVII. consecratum est altare SS. BLASII & VITI à venerabili OTHONE (dicto Largo) Episcopo Babenbergensi III. Id. Septemb. Anno Domini clæc. LXXXII. consecratum est altare SS. BENEDICTI & SCHOLASTICÆ & Mariæ MAGDALENÆ à venerabili UDALSCALCO Augustensi Episcopo V. Kal. Decemb. Sed altare B. V. Mariæ consecratum est in honore S. Crucis & S. MARTINI Episcopi, qui est Patronus hujus Cænobii. Hæc ille codex.

Jus vero Advocatiæ hujus Monasterii hoc tempore habent illustres Comites de Oettingen, quod A. D. clæ. CCCXLVII. die Jovis ante S. GREGORII emerunt à Conrado nobili de Hirnhaim, dicto de Alta domo vom Hohen hauff. Quomodo autem & quando jus Advocatiæ hujus Monasterii, quod S. HENRICUS Imp. anno clæ. XVII. Episcopatu Bambergensi tradidit, ad nobiles de Hirnheim devenerit, non constat. Et quoniam Advocatiæ hujus Monasterii etiam hodie Episcopatu Bambergensi in Feudum cedit, illo iidem jam dicti Comites de Oettingen, quando Feudum vacat, investuntur.

Attamen nec S. OTHONIS quidem instauratio diu felix fuit, nam statim periculossima inolevere tempora, de quibus nonnulli hæc prodidere: *Tunc ceperunt multiplicari mala in terris, rapine, deprædationes, depopulationes terrarum, incendia, bella, latrocinia, &c.* In eam fortem & hoc Cænobium devenisse credibile est, quod innuere videntur verba URBANI VI. P. M. in diplomate quodam: *Considerantes, quod fructus, redditus & proventus Monasterii Deggingensis propter guerras, quæ in illis partibus viguerant, adeo erant diminuti, & tenues ac exiles, quod Abbas & Conventus ex eis nequibant commode sustentari, &c.*

Hinc Episcopi & Magnates quidam videntes labores, pressuras, & varia pericula alia, quibus plus æquo afflictus locus iste ad nimiam devenerat egestatem, & moti interna compassione animi super malis his omnibus, in eorum levamen & ad reformandum statum dicti Monasterii, & ut ibidem Deo studiosus deserviretur. Parochiales quasdam Ecclesias eidem incorporaverunt, utpote SIFRIDUS Episcopus Augustanus Parochialem Ecclesiam S. GEORGII Martyris in pago Deggingensi sitam A. C. clæ. CC. XXI. quam incorporationem HONORIUS III. P. M. confirmavit. Et quamvis sequentes Pontifices NICOLAUS III. clæ. CC. LXXVIII. HONORIUS IV. clæ. CCLXXXV. CLEMENS V. clæ. CCCVI. datis literis Apostolicis serio mandaverint, ut decimarum, terrarum, possessionum, domorum, Casalium, pratorum, pascuarum, molen-dinorum, Jurium, Jurisdictionum & aliorum honorum ad Monasterium spectantium restitutio fieret, nulla tamen sequuta est. Sed respectu dicti Monasterii egestatis, aliæ adhuc Ecclesiæ eidem unitæ fuerunt, utpote S. ANDREÆ in Sorheim, clæ. CCC. XII. S. VITI in Hirnheim, clæ. CCCXLVI. vel clæ. CCCLXXVIII. S. NICOLAI in Magerbein clæ. CCCLXVI. S. PETRI Munningen clæ. CCCLXXX. Reliquos vero redditus ferme omnes coemit R. D. GEORGIUS Flos Abbas, optimus Monasterii Oeconomus, ab electionis suæ anno clæ. CDLIV. usque ad clæ. CDLXXXVI. quo obiit, merito tertii quasi fundatoris titulo cohonestandus. Ædificavit etiam novum Chorum, & complura alia ædificia construxit. Verum sub hujus successore UDALRICO Rem, incendio totum hoc Monasterium periit incuria inhabitantium, in vigilia SS. Apostolorum SIMONIS & JUDÆ anno clæ. DXII. Dicitur incendium triduum integrum durasse. Ejusdem in regimine successor ALEXANDER Hummel restauravit Monasterium incendio destructum; quod in hodiernum usque diem ob diligentem Prælatorum ibidem administrationem adhuc viget & floret, sub A. R. D. VITO Abbate, cui proinde DEUS multos addat annos; ita voveo, sic precor.

